LUTHER

DE VOTIS MONASTICIS

(1521)



DE VOTIS MONASTICIS, MARTINI LVTHERI IVDICIVM.

VVITTEMBERGAE.

Arca Artium Rare
BX
2430
.L98
1521

1600.00 Knowles.92

IHESVS.

IOHANNI LVTHER PARENTI SVO, MARTINVS LVTHER FILIVS IN CHRISTO SALVTEM.

VNC librum tibi, parens cariſsime, nuncupare conſilium fuit, non ut nomen tuũ ferrem in orbem, & in carne gloriaremur aduerſus doctrinam Pauli, ſed ut occaſionem apprehenderẽ, quæ ſeſe inter te & me oportune obtulit, breui prologo, & cauſam & argumentum & exemplum huius libelli, piis lectoribus enarrandi. Et ut hinc ordiar. Scire te uolo, filium tuum eo promouiſſe, ut iam perſuaſiſſimus ſit, nihil eſſe ſanctius, nihil prius, nihil religioſius obſeruandũ, quã diuinũ mandatũ. Infœliciter (inquies) ſcilicet de hac re unquã dubitaſti, & nunc tandem hæc ita habere didiciſti? Imo fœliciſſime, non ſolum enim dubitaui, ſed plane ignoraui hæc ita habere. Quin ſi pateris, promptum eſt mihi & cõmunem tibi mecum fuiſſe eam ignorantiam, demonſtrare. Annus ferme agitur decimus ſextus, monachatus mei, quem te & inuito & ignorante ſubiui. Metuebas tu paterno affectu imbecillitati meæ, cũ eſſem iam aduleſcens, ſecundum & uiceſimum annum ingreſſus, hoc eſt, feruente (ut Aug. uerbo utar) adoleſcentia indutus, quod multis exemplis didiceras hoc uitæ genus infœliciter quibuſdã cecidiſſe. Deſtinabas uero me uincire honeſto & opulento conuiugio. Hic metus erat tua cura, erat & indignatio tua in me aliquandiu implacabilis, fruſtra ſuadentibus amicis, ut ſi qd offerre deo uelles, chariſſimũ & optimum tuum offerres. Interim dominus in tuas cogitatiões illud pſalmi ſonabat ſed ſurdo, Deus ſcit cogitationes hominum quoniam uanæ ſunt. Tandem ceſſiſti, & uoluntatem deo ſubmiſiſti, ſed nequaquã poſito mei ti-

more. Memini enim nimis præsente memoria, cum iam placatus mecũ loquereris, & ego de cœlo terroribus me uocatum assererem, neq; enim libens & cupiens fiebam monachus, multo minus uero uentris gratia, sed terrore & agone mortis subitæ circumuallatus, uoui coactum & necessarium uotum. Vtinam (aiebas) non sit illusio & præstigium. Id uerbi, quasi deus per os tuum sonaret, penetrauit & insedit in intimis meis, sed obfirmabam ego cor, quantũ potui aduersus te & uerbum tuũ. Addebas & aliud, cum tibi iam opprobrarem filiali fiducia indignationem, repente tu me reuerberas & retundis tam opportune & apte, ut in tota uita mea ex homine uix audierim uerbum, quod potentius in me sonuerit & heserit. Et non etiã (dicebas) audisti tu parentibus esse obediendum? Verum ego securus in iustitia mea, te uelut hominem audiui & fortiter contempsi, nã ex animo id uerbi contemnere non potui.

Occasio voueendi Luthero.

Hic uide, an non & tu ignoraris, mandata dei præferenda esse omnibus. Nonne si scisses, me adhuc tum fuisse in manu tua, plane e cucullo autoritate paterna extraxisses? Sed nec ego si sciuissem, te ignorante & inuito id tentassem, etiam si multis mortibus pereundum fuisset. Neq; enim meum uotum ualebat hunc floccum, quo me subtrahebam parentis autoritati & uoluntati diuinitus mandatæ, imo impiũ erat & ex deo non esse, probabat non modo id quod peccabat in tuam autoritatem, sed etiam quod spontaneum & uoluntarium non erat. Deinde in doctrinas hominum & superstitionem hypocritarum fiebat quas deus nõ præcepit. Verũ deus cuius misericordiæ nõ est numerus, & sapientiæ eius non est finis, ex omnibus his erroribus & peccatis, quanta bona, ecce, promouit. Nonne centum filios nunc malles amisisse, quã hoc bonũ non uidisse? Videtur mihi Satanas a pueritia mea aliquid in me præuidisse eorũ, quæ nũc patitur, ideo ad perdendum, ad impediendumq; me insaniuit incredibilibus machinis, ut sæpius fuerim admiratus. Ego ne solus essem inter mortales, quẽ peteret. Voluit autẽ dominus (ut nunc uideo) Academiarũ sapientias & monasteriorum sanctitates propria & certa experientia, hoc est, multis peccatis & im-

pietatibus mihi notas fieri, ne impiis hominibus occasio fieret in futurum aduersarium gloriandi, quod ignota damnarem. Igitur uixi monachus, non sine peccato quidem, sed sine crimine. Nam impietas & sacrilegium in regno Papæ pro summa pietate habentur, nedum crimina censentur.

Quid igitur nunc cogitas? An adhuc me extrahes? adhuc.n parens es, adhuc ego filius sum, & uota omnia nullius sunt momenti. A parte tua stat autoritas diuina, a mea parte stat præsumptio humana. Neq; enim ipsa adeo continentia, quã tantis buccis crepant, quicquã ualet sine obedientia mandati dei. Continentia non est mandata, obedientia uero est mandata. Quanquã insani & fatui Papistæ uirginitati & continentiæ nihil paciantur æquari, prodigiosis mendaciis utranq; iactantes, ut ipsa mentiendi insania, tum ignorantiæ magnitudo utra & sola debuerit suspectum reddere, quicquid faciunt & sapiunt. Quæ est enim intelligentia, illud sapientis, Non est digna ponderatio continentis animæ, eo torquere. ut uideatur uirginitatem & cõtinentiam, omnibus prætulisse, incõmutabilem & indispensabilem fecisse? cum hoc uerbum, Iudæus Iudæis scripserit, de casta coniuge, apud quos uirginitas & continentia damnabant. Sic & illud pudicæ uxoris præconium. Hæc est quæ nesciuit thorum in delicto, aptant uirginibus. Breuiter, cum uirginitas in scripturis non laudetur, sed tantum probetur, præconiis coniugalis castitatis, ceu alienis plumis uestitur ab istis, qui ad pericula salutis animas prompti sunt inflammare. An non & obedientis animæ non est digna ponderatio? plane ideo non est digna ponderatio continentis animæ, id est, pudicæ uxoris, non solum quia præcepta est a deo, uerũ etiam, ut & uulgatum prouerbium habet, quod uxore pudica nihil est in hominibus expetibilius. At illi fideles scripturæ interpretes, quod de continentia præcepta dicit, de cõtinentia nõ præcepta intelligũt. deinde ponderationẽ humanã faciunt æstimationẽ diuinã. Hinc omnia dispensant etiã obedientiã dei. Cõtinentiã uero aliquãdo & prohibitã, scilicet aduersus parẽtũ autoritatẽ susceptã nõ dispẽsant. O dignos & uere papisticos doctorculos & magistellos. Virgini

Falsæ votorũ laudes.

tas & castitas laudandæ sunt, sed sic, ut magnitudine earũ magis absterreantur, quã alliciantur homines, sicut Christus cum discipuli continentiam laudarent dicentes. Non expedit nubere si sic homini cum uxore est, Mox retraxit eos & dixit, Non capiunt omnes uerbum hoc. Capiendum uerbum, sed paucis uoluit intelligi.

Sed ad te reuertar, parens mi, Et iterum dico, Nunquid me extrahes adhuc? At ne tu glorieris, præuenit te dominus & ipse me extraxit. Quid enim si uestem & rasuram uel gestem uel ponam? Nunquid cucullus & rasura faciunt monachum? Omnia uestra, ait Paulus, uos autem Christi, & ego cuculli ero ac non potius cucullus meus? Conscientia liberata est, id quod abundantissime est liberari. Itaq; iam sum monachus & non monachus, noua creatura, non Papæ, sed Christi. Creat enim & Papa, sed puppas & pappos, hoc est, sibi similes laruas & idola, quorum & ego aliquando unus fui seductus uariis uerborum consuetudinibus, quibus & sapiens periclitatũ sese dicit ad mortem usq;, & liberatum gratia dei. Sed nũquid iterum tuo te iure & autoritate spolio? plane autoritas tibi in me manet integra, quod ad monachatum attinet, uerum is iam nullus in me est, ut dixi. Cæterum, is qui me extraxit, ius habet in me maius iure tuo, a quo me uides positum iam non in fictitio illo monasticorum, sed uero cultu dei. In ministerio enim uerbi me esse, quis potest dubitare? At hic cultus plane est, cui cedere debet parentum autoritas, dicente Christo. Qui amat patrem & matrem plusquã me, non est me dignus. Non quod parentum autoritatem hoc uerbo euacuerit, cum Apostolus toties inculcet, ut filii obediant parentibus, sed si pugnet parentum & Christi uocatio uel autoritas. Christi autoritas regnare sola debet. Itaq; sub conscientiæ meæ periculo tibi nõ obedire non possem (ita sum modo persuasissimus) ubi ministeriũ uerbi ultra monachatum non accessisset. Hoc est, quod dixi, neq; te neq; me sciuisse antea, Mandata dei omnibus præferenda esse. Sed totus ferme orbis hac ignorantia laborat, regnante operatiõe erroris, sub abominatione Papali, quod & Paulus prædixit, dicens fore homi-

nes parentibus non obedientes, quod in monachos & ſacerdotes quadrat, eos potiſſimũ, qui ſpecie pietatis & titulo ſeruitutis dei, parentum autoritati ſe ſubtrahunt, quaſi ulla ſit ſeruitus dei alia, quã mandatis eius obedire, inter quæ eſt & obedientia parentum.

Mitto itaq; hunc librum, in quo uideas, quantis ſignis & uirtutibus Chriſtus me abſoluerit a uoto monaſtico, & tanta libertate me donarit, ut cum omniũ ſeruum fecerit, nulli tamen ſubditus ſim niſi ſibi ſoli. Ipſe enim eſt meus immediatus (quod uocant) Epiſcopus, Abbas, Prior, dominus, pater & magiſter. Alium non noui amplius. Sic ſpero tibi filium unum rapuerit, ut multis aliis filiis ſuis per me conſulere incipiat, quod tu non modo libenter ferre, ſed & multo gaudio gaudere debes, nec aliud te facturũ eſſe, mihi certiſſime perſuadeo. Quid ſi me occidat Papa aut damnet ultra tartara? Occiſum non ſuſcitabit, ut bis & iterum occidat. Damnatum uero, ego uolo, ut nunquam abſoluat. Confido enim inſtare diem illum, quo deſtruet regnum iſtud abominationis & perditionis. Vtinam nos primum digni ſimus uel exuri uel occidi ab eo, quo ſanguis noſter magis clamet & urgeat iudicium illius accelerari, ſed ſi digni non ſumus, ſanguine teſtificari, hanc ſaltem oremus & implo-
remus miſericordiam, ut uita & uoce teſtemur, quod
Iheſus Chriſtus ſolus eſt dominus deus noſter,
benedictus in ſecula ſeculorum Amen. In
quo bene uale cariſsime parens, &
matrem meam Margaritã tuã
cum uniuerſo ſanguine,
Saluta in Chriſto. Ex
Eremo, Viceſi-
ma prima
No-
uembris.
A N. M. D. X XI.

IHESVS.

IVDICIVM MARTINI LVTHERI DE VOTIS MONASTICIS.

IN PRIMIS denunciatum esse uolo iis, qui iamdudum inueterato nominis mei odio, ipsam manifestissimam ueritatem, propter me damnant, ad ipsos nihil a me scribi hoc libro, quod nolim aspidibus illis surdis & aures obdurantibus frustra uocem incãtationis meæ obstrepere, nec iuxta Salomonem uerbum effundere, ubi non est auditus, nec sanctum dare canibus, nec margaritas proiicere ante porcos. Legãt illi creatoris sui decretales & suas sapientias, quando ita uolũt. Illis tantum seruio, qui fornace ferrea Aegypti & æstuantissimo Babylonis igne, hoc est, conscientiæ & peccati tyrannide torquentur. De uotis enim monasticis agemus, quæ multiplicata & uulgata uidemus, cum summa Christianismi pernicie, & immensa animarum calamitate. Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet uultum suum super nos, ut cognoscamus in terra uiam eius, in omnibus gentibus salutare eius, ut & confiteant ei populi, letentur & exultent gentes, quod liberatos ab hominum traditionibus ipse iudicet in æquitate, & gentes in terra dirigat. AMEN.

Protestatio.

1

ꝓ papa /

NON DISPVTARI SIT NE PRESTANDUM UOTUM, sed quæ uota uere uota sint.

Nemo potest negare, diuinitus esse institutum ius reddendi uoti, dicente scriptura, Vouete & reddite, ut prorsus nulli fas sit disputare, an uotum sit reddendum. Neq; nos disputamus an reddendum sit uotum, sed hoc agimus, ut inter uota discernamus, & cognoscamus, quæ sint pia bona & placita deo, quæ & sola sunt cẽsenda uota in scripturis nominari & exigi. Rursum quæ impia, mala & displicentia deo, quæ non aliter sunt censenda uota, quã si pietatem dixeris, occidisse proximũ aut adulte-

Vota sic reddenda ꝗ dñ cepo fine

ratum fuisse, ut nec in hoc sit disputare necessariũ, an talia sint reddenda uel reuocanda. Nihil enim tam pium ac sanctum est unquã institutum, quod non sit peruersa æmulatione & impia specie tentatũ, imo quo sanctior res est, hoc magis petitur impiorum & hypocritarum peruersa æmulatione. Quid sanctius latria summo & primo præcepto mandata? Rursum, quid uulgarius superstitione, id est, falsa & simulata latria? ut metuendũ sit, eadem peruersitate & uotorum pietatem degenerasse in hypocrisin & superstitionẽ impiam. Neq; enim uera pietas & sincerum uotum, tam uulgaris res est, præsertim nouissimis istis periculosis, impiis & pessimis temporibus, in quibus & fides & caritas occasuræ prædictæ sunt.

Proclive labi a pietate in hypocrisin.

PRIMVM, VOTA NON NITI VERBO dei, immo aduersari uerbo dei.

Nõdũ ristaminũ vota ignorat,

DVBIVM non est, Votum monasticum hoc ipso periculosum esse, quod res est, sine autoritate & exemplo scripturæ, sed & Ecclesia primitiua et nouum testamentũ ignorant in totum, uouendæ cuiuscũq; rei usum, nedum probant, perpetuũ hoc uoti genus rarissimæ & miraculosæ castitatis. Est enim merũ & perniciosum hominũ inuentũ, cuiusmodi sunt & omnia alia per homines inuenta. Quod autẽ in Actis S. Paulus uotum habens sese cum quattuor aliis uiris purificauit, quis non uidet ex uetere lege reliquũ fuisse? ut interim taceam, quod temporale uotum fuit. Sic enim idem Apostolus & omnia alia legis ueteris seruabat cum Iudæis, sed hoc non uoluit exemplum esse nouo testamento, imo cũ gentibus legem omittebat. Sanctus Antonius ipsissimus monachorum pater & monasticæ uitæ princeps sapiẽtissime & Christianissime censuit & docuit, nihil prorsus esse tentandũ, quod autoritatem scripturæ non haberet. Et ipse deuotarium hoc & cerimoniale monachorũ genus prorsus ignorauit, sed libere incoluit Eremũ & libere cœlebs uixit, iuxta formã Euangelii. Posteri eius, uotum, necessitatem & seruitutem ex illius instituto fecerũt, nihil nisi speciem & fallacem æmulationem Antonianæ regulæ, quæ Christi

Vota humana traditio.

Egregia Antonij sentẽtia.

regula est, secuti, humana tantum sapientes. Sic & S. Paulus cũ sæpius iactet formam & traditionem per suum ministeriũ Ecclesiis datam, exigatq; ut sese imitentur, non tamen uult ut tanquã Paulum imitentur, sed Christum in ipso, dicens, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Certe alius dux nobis datus non est, quã de quo magnifica patris gloria testata est in hanc uocem, Hunc audite. Quo uerbo Christus omnibus dux constitutus est, & omnes ei subiecti & postpositi. Sicut antea prophetauerat Micheas. v. exiturum de Bethlehem ducem, qui regeret populum dei. Hinc & ipsemet patri suo contestificans dicit, Qui sequitur me non ambulat in tenebris. Et iterum, Ego sum lux mundi. Ipse enim stat in signum populorum, quod leuauit deus, ad congregandos profugos Israel. Sicut iterum dicit Iohan. vi. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Ego sum ostium. Ego uia ueritas & uita.

Vide quã accõmode vtatur Pauli loco Imitatores mei estote sicut ego Chri.

Hæc & similia oracula scripturæ, cum sint luce clariora & fidelissima, certe cogunt damnare, quicquid est regularum, statutorum, ordinum, sectarum, quod uel citra uel præter, uel ultra Christum incedit, etiam si per angelos de cœlo traditum, si per miracula ingentia confirmatum esset. Non pacietur ille aliã uiam præsumi, qui dixit, Ego sum uia, quin hac uoce omnes alias uias præteritas, præsentes, futuras reuocauit, cassauit & irritas fecit. Nec sinit alium ducem & magistrũ surgere, qui dixit. Hunc audite, siue meliora siue uiliora tentarit tradere, sed hac uoce damnauit, quicquid est legum & traditionum extra Christum, sicut & Christus dicit Iohan. x. Omnes quotquot uenerunt latrones & fures fuerunt. Ex quibus id colligitur euidentissime, prorsus non licere monasticen uouere, suntq; per hæc cœlestia tonitrua sublata, prohibita & damnata omnia istius generis uota penitissime, cum negare nemo possit, in monastice, multa imo omnia & solum ea uoueri, quæ extra Christum & sine Christo (id est, sine uia, sine luce, sine ueritate, sine uita, sine deo) sunt. Id quod plane ipsimet gloriose & absq; pudore confitentur, ut qui tales sint, qui ultra Christum quædam altiora & perfectiora uiuant. O cæcitatem inestimabilem.

Periculosum quidquid extra scripturam est.

Sit ergo hoc in primis positum atq; fixum, Quicquid ultra & præter Christum, siue proprie præsumitur, siue a sanctorum exemplis & institutis petitur, hoc uelut humanum, iam dudum diuina autoritate prohibitum, damnatum atq; definitum est, non licere, uoueri, & in præceptum seu necessariam uiam uitæ statui, nec si uotum fuerit, impleri & seruari, sed oportere solui & liberum dimitti. Stat enim inuicta hæc rupes, Ego sum uia, & nullus alius. Quicquid autem uia hæc non fuerit, error & lubricum & tenebræ sunt.

Francisci sententia suam regulã esse Euãgelium.

Sed & S. Franciscus uir admirabilis & spiritu feruentissimus, sapientissime dixit, Regulam suam esse Euangeliũ Ihesu Christi. At Euangelium, castitatem liberam habet, nec aliquid eorũ, quæ nunc isti Minores incredibili hypocrisi seruant. Plane Franciscus cum uoluit suos ad Euangelium uiuere, liberrimos esse uoluit tam a uotis quã ab omnibus humanis traditionibus, ut fratres minores etiam iure sui uoti & regulæ, potestatem habeant, celibes & non celibes, uiuendi & manendi in Cœnobiis, & omnibus suis statutis, quã diu uoluerint, aliud enim neq; uouerunt neq; uouere potuerunt, qui Euangelium uouerunt. Nunc uero, hoc hominum genere, quo nihil oportuit esse liberius, nihil est hodie superstitiosius & scrupulosius captiuum infinitis statutis, articulis aliquibus & puerilibus ridiculisq; obseruanciis. Falsus tamen est uir sanctus, uel multitudine contemnentium Euangelium in mundo, uel operatione erronea Papisticæ confirmationis & approbationis captus, ut cõmune Euangelium cunctis fidelibus, faceret singularem regulam paucorum, & quod catholicum esse Christus uoluit, traheret in schismaticum. Nihil enim uouet frater Minorita, dũm suam regulam uouet, quã quod iã ab initio uouit in baptismo, nempe Euangelium. Nisi is fuerit potior error Francisci, quod credidit, multa in Euangelio consilia esse, ut Papisticarum scholarum sapit impietas, quæ per regulam in mandata transtulerit. Quod cur non tribuam tanto uiro, paulo post dicam. Si itaq; interroges Minoritam, cur celebs uiuat, & cur pecuniam non contrectet, cum sit Euangelii professor, Et Christus cœlibatũ liberum esse iusserit, & pecuniã

tractarit uel in nomismate Cæsaris, quid respondebit, nisi sese obseruare, id quod in regula Franciscus humanum sapuit & tyrannide Papistica uiciatum est. Id uero quod diuinum sapuit (regulam suam esse Euangelium) non obseruare? Vides ergo demonstratum esse, Franciscũ ut hominem erraſſe in condenda regula sua. Quid enim est dicere, Regula fratrum minorum est Euangelium, quã statuere, Solos fratres minores esse Christianos? Si enim Euangelium eorum proprium est, nulli sunt Christiani præter Minores, cum Euangelium sine controuersia & solius & totius sit populi Christiani. Illusus etiam est, dum docuit, si tamen docuit, uouere denuo id, quod & ipsi & omnes cõmuniter in baptismo uouerunt iam antea, nempe communissimum illud omnium Euangelium.

Minorite a christiano no differt nisi ypo christi

DE FVNDAMENTIS Deuotariorum.

Sed hic incidunt duo eorum principia fidei seu potius perfidiæ tractanda, quorum est primum, Euangelium non esse omnibus cõmune, sed partitum in consilia & præcepta. Suam uero monasticen, sequi consilia, non tantum præcepta, quæ reliquo uulgo proposita sunt. Hic uero non uno neqꝫ paruo errore labuntur. Et ut omittam, quod hac distinctione sese ignorare testantur, quid sit proprie Euangelium (dum præcepta & consilia ex ipso faciunt) quod est meræ promissiones dei, exhibita beneficia hominibus annunciantes, inter quæ sunt & declarationes illæ mandatorum dei & exhortationes ad eadem seruanda, Matth. v. vi. &. vii. a Christo factæ. Quid dicent ad Christũ Marci ult. Euntes in mundum uniuersum prædicate Euangeliũ omni creaturæ? An hic fingent, aliud esse prædicare & aliud iubere seruare? Cur prædicari mandat toti orbi & omni creaturæ quod a paucis exigit seruari? sed & Paulus, quoties iactat sese in Euangelium segregatum, Euangelium esse promissum, Euangelium esse uirtutem dei in salutem omni credenti, & plane perire omnes, in quibus opertum est Euangelium Christi. Nihil magis comune, magis necessarium, quã Euangelium ille docet fere ubiqꝫ. Sed sicut ignorant, quid sit Euangelium, dũ legem

Cõmentũ de discrimine cõsiliorũ & præceptorum.

ex ipſo faciunt, ita has uoces Pauſi prorſus non capiunt. Deſcendamus itaq; ad ipſos in locum iſtum tenebroſum, & cum balbis in Euangelio balbutiamus, appellantes conſilia & præcepta, quæ in Euangelio ſunt exhortationes. Moſes enim habet præcepta ut Iohan. i. dicit, Lex per Moſen data eſt, Euangeliũ habet gratiam, ſicut idem dicit, Gratia & ueritas per Iheſum Chriſtum facta eſt. Videamus itaq; qui ſit ſucceſſus eorum, qui ultra Chriſtum uolare præſumunt, quo eos totet impiæ præſumptionis error. Si enim probare poterimus, non eſſe conſilia, quæ illi iactant & uouent, nonne deprehendemus eos damnabiliter errare, & ſuper mendacia impietatis niti eorum uota? Nam aſſerere conſilia, quæ conſilia non ſunt, & diuina mandata ſoluere, quid eſt niſi ueritatem dei negare & in mendacium mutare, imo & deum blaſphemare? An non eſt blaſphemia, ſi deus dicat. Hoc eſt meum præceptum. Et illi dicant in nomine domini contra eum. Non eſt præceptum ſed conſilium? Et in hac & ſuper hac blaſphemia tandem uouere monaſticen & ſtibio oculos pingere, osq; tergere & dicere, non feci malum ſed bonũ. Nam hac ſacrilega & blaſphema conſcientia uouere omnes, qui conſilia eſſe ſentiunt præcepta dei, quis non intelligit? At talia ſunt certe nunc omniũ religioſorũ uota, quibus perſuaſa eſt hæc ſacrilega & blaſphema ſententia, de conſiliis & præceptis.

Pergamus itaq; hanc impietatem reuelare. Conſilia quæ illi fingunt, ferme ſunt, quæ Chriſtus Matth. vi. docet, Nõ eſſe uindicandum, non reddendũ malum pro malo, non contendendũ iudicio, dimittendũ & pallium ablata tunica, prebendam alterã maxillam, cogenti ad unũ miliare eundũ & alia duo cũ eo, & omnino non reſiſtendũ malo, & beneuolũ eſſe aduerſario in uia. Item diligendos eſſe inimicos, benefaciendũ odientibus, orandum pro perſequentibus & calumniantibus, item dandũ gratis omni petenti, & mutuũ dandum gratis, uendenda & relinquenda omnia, & ueniendũ poſt Chriſtũ, omnibus ſeſe ſubmittere etiã indignioribus. His adde uirginitatẽ & continentiã, ſunt qui huc accenſeant & beatitudines octo Matth. v. ne nõ oia dei mandata ſoluãt & negent. De caſtitate ut ſit conſiliũ poſtea,

nunc reliqua uideamus. Esse autē hæc omnia non consilia sed necessaria mandata. Primū hoc probat quod Matthæus hæc scripturus, præmittit Christum ascendisse in montem, sedisse, aperuisse os suū & docuisse. At docere nō est consulere, sed quid faciendum sit necessario, tradere. Et infra ipse Christus, Non ueni soluere legem, sed adimplere. Ergo quæcunq; ibi docet, in hoc docet, ut lex impleatur, non ut consilia numerentur. Vbi & uelut digito monstrans ea quæ tunc docebat, dicit. Qui ergo soluerit unū de mandatis istis minimis & sic docuerit homines, minimus uocabit in regno cœlorū, qui autē fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorū. Hic uides ut aperte appellet mandata, quæ docet, & uerbū docendi ipsemet exponit esse id, quod tradere mandata. Deinde accessurus ad ea, quæ isti uocant consilia, dicit, Nisi abundauerit iustitia uestra plusquā scribarum & phariseorū, non intrabitis in regnū cœlorū. Nōne cœlorū regnū solum iis negatur, qui mandata nō seruant? At hoc affirmat de iis, quæ ipsemet hic docet, ultra quā docuerant scribæ & pharisæi. Obsecro quis est tam audax, ut hic cōsilia numeret, ubi tot uerbis docendi, mandandi, tot & tam grauibus comminationibus cogit ad seruanda necessario, omnia quæ ibi scribuntur? Qua autoritate afferent ea esse consilia? unde locus? proferant unum iota in suum testimonium. Et impii tam audaces sunt e proprio capite, sine scriptura, consilia facere, contra tot docendi, mandandi, minandi, promittendi fulmina. An Parrhisiensis Gomorræ insaniam sequemur, ubi dicunt in sua pulchra determinatione, Esse hæc nimio oneratiua Christianæ legis. O Sodomam, O Gomorram, qui ad uires liberi arbitrii metiuntur diuina mandata, potius quā ad gratiam dei, & ad seipsa.

Amplius uero inter ipsa consilia, frontes eorum impudentes conterit, dum dicit, Esto beneuolus aduersario tuo, ne forte tradat te iudici, & iudex tradat te ministro & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde donec reddas nouissimum quadrantem. Respondeant hic Parrhisienses talpæ & uespertiliones, an consiliis omissis ulla pœna intentetur,

Docere est præcepta
Sicut in euangelio posita, sic præcepta præcaptiuantur q̄ beatitudines est.

Mandata diuina nō metiuntur ad libertatem ac ad gratiam dei.

nedum tanta & æterna, ut tradatur Iudici, ministro, carceri, & nunquã exeat, qui non fuerit beneuolus aduersario. Item dum dicit, Si tantum eos diligitis qui uos diligunt, quã mercedem habebitis? Nonne & publicani & peccatores hoc faciunt? Est hoc consiliis non obedisse, mercedem non habere, & publicanis & peccatoribus æquales esse? Idem multis uerbis asserit Lucæ.vi. Claret ergo omnia prædicta eorum consilia, esse uere & absq; dubio necessaria præcepta, quæ Christus Matth.vi. docet. Sic & Petrus dicit.i.Pet.v. Omnes inuicem humilitatẽ insinuate. Et Roma.xii. superiores inuicem arbitrantes. Non esse autẽ hoc consilium, ut inferiori nos humiliemus, probat, quod Petrus infert & causam affert dicens. Quia deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Putas adhuc esse consilium, ubi Petrus superbiam affirmat, cui deus resistit, si inferiori te nõ submiseris? Vendere autem omnia & dare pauperibus non esse paupertatẽ, quã isti uocant, monasticam, probat id quod Petrus post resurrectionem ibat piscari, sicut & antea, cum tamen reliquisset omnia. Tum monastici non solũ non uendunt sua & dant pauperibus, sed omnia omniũ bona ipsi cõgregant, & præ omnibus abundant. Nõ solum autẽ damnanda impietas & blasphemia scholarum & monasteriorum est, quod hæc sacrilegia audeant docere, sed & detestanda eorum stertens oscitantia & pudenda segnicies, uel supina securitas, quod animalia ista uentris, non tantum curæ habuerunt ad Euangelium, ut libros aliquando aperirent, folia uerterent, & uerba saltem inspicerent. Solo em̃ inspectu uerborum, cum sint tam clara & manifesta, poterant sacrilega ista monstra blasphemiarum suarum effugere. Quid ergo sunt nisi scholæ & monasteria? Scholæ, quia ludentes & illusi mendaciis, monasteria, quia solitaria sine Christo, extra cõmunem uiam Christianæ ueritatis longissime posita.

In monasterio no est paupertas,

Intelligis ergo, qua fide, qua pietate, & uoueant & uiuant ista lupanaria Satanæ. Paulus dicit, Si linguis hominum loquaris & angelorum, si omnes facultates in cibos pauperum distribueris, si teipsum tradideris ut ardeas, nihil sis & nihil feceris, nisi charitatem habueris, quãto magis, si monachus fias & consilia

ista

ita uoueas, nihil fis & nihil feceris, si blasphema & impia conscientia ueritatem dei negante hæc feceris, sicuti uides illos facere. Pelagius uir laudatæ uitæ fuisse legitur, sed quia gratiam dei negauit, ob unam hanc impietatem, omnia frustra uixit. Si qs Mariam neget uirginem, aut alium quemuis singularem articulum fidei non crediderit, damnatur, etiam si alioqui ipsius uirginis & uirginitatem & sanctitatem haberet, quanto magis monachorum hoc perditionis uulgus damnabitur, quod diuina mandata & negat & mutat, soluit & extinguit. Ecce fundamentum monasticorum uotorum, impietas, blasphemia, sacrilegium, atq; hæc contingunt, quod Christum ducem & lucem spernentes, alia & meliora sequi præsumunt. Qui enim ueritatē relinquit ducem, quid sequatur nisi mendacia? qui gloriā dei non sequitur, merito blasphemias sequitur. Est ergo hæc iam secunda causa, cur uota monastica sint uitanda & tollenda de sub cœlo, & omnibus qui ea uouerūt redeundum in cōmunē uiam Christianorum post Christum secura & optima conscientia, ut quam reuocet ipse deus, uota eius prohibens, damnans, & summæ impietatis arguens.

Mōchi pdicae vnlog si in opibz afidunt

DE VIRGINITATE.

De virginitate.

AT VIRGINITAS & cœlibatus consilium est, Christus ipse plane non consuluit, sed potius deterruit, monstrauit solum & laudauit, dum memoratis Eunuchis dixit, Qui potest capere capiat. Et iterū, non omnes capiunt hoc uerbum. Nōne hæc uerba sunt potius auocantis & deterrentis? Neminem enim inuitat & uocat, sed ostendit solū. Paulus tamen dicit, Consiliū do, sed nec ipse inuitat quenquā, quin magis deterret & auocat, dum dicit, Sed unusquisq; proprium donum habet a deo. Neq; suadet neq; dissuadet, sed in medio relinquit. At nostri inmundi cœlibes, aliud non intelligunt per consulere, quā inuitare, exhortari, uocare & persuadere ad cœlibatum, tum dissuadere, dehortari, auocare, abstrere a coniugio, quod & faciunt in omnibus suis conciōnibus & scriptis. Sed ad rem ipsam ueniamus. Si cœlibatus consilium est

Euangelicũ, quæ eſt ergo ueſtra uouendi inſania, ut ultra Euan
gelium e conſilio faciatis rigidiſſimũ præceptum? Iam.n.non
iuxta ſed ultra Euangeliũ per hoc & contra Euangeliũ uiuitis,
quod amplius non habetis conſiliũ. Si Euangelio obeditis, cœ
libatũ liberum habere debetis, ſi liberũ non habetis, Euangelio
non obeditis. Quia impoſſibile eſt, ut conſilium Euangelii fiat
præceptũ, & æque impoſſibile eſt, ut ueſtrum uotũ ſit conſiliũ.
Pugnat ergo ex diametro, uotiua caſtitas cũ Euangelio. Quare
cũ deus autor Euangelii non acceptet niſi quod Euangelicũ eſt,
impoſſibile eſt, ut uotũ continentiæ probet ac non potius dete-
ſtetur. Habetis monaſtici, quod hic reſpondeatis? Negate Euan
gelii conſilium conſiliũ eſſe, aut concedite uotũ ueſtrum non
Euangelicũ eſſe. Neq;.n. audebitis aſſerere deũ paſſurum, ut e cõ
ſilio ſuo quiſquã præceptũ faciat, aut aliud quã Euangeliũ ſuũ
probet & exigat, quare neceſſe eſt, ut uotũ ueſtrum deo nõ pro
bari confiteamini. Atq; hæc tertia iam machina ſatis firma & po
tens aduerſus uota monaſtica nobis ſtat inſtructa. Et uidemus
monaſtica uota non aliud inueniri, quã errorem per ſeſe nun-
quã non fallentẽ & ſeducentem, qui & Chriſtiano uitandus &
deſerendus ſit. Neq; poſſe innoxium eſſe, niſi iis qui ſpirituales
ſunt, & bono uſu illius ſeſe ſeruant, quod eſt ſolum electorum,
quibus nec errores nec peccata tandem nocere poſſunt.

Cõmentum de diſcrimine ſtatuum, perfectiõis & imperfectionis

Alterum principiũ perfidiæ illorũ, Quod uitã Chriſtianam
partiuntur in ſtatum perfectionis & imperfectionis. Vulgo dãt
imperfectionis, ſibi perfectionis ſtatum. Et hanc differentiam
non metiunt iuxta menſuram ſpiritus & fidei & charitatis, quas
certum eſt in uulgo potiſſimum regnare, ſed iuxta pompam &
laruam externorũ operum & ſuorum uotorum, in quibus nihil
eſt, neq; ſpiritus, neq; fidei, neq; charitatis, quin ſpiritum fidei &
charitatis extinguunt. Perfectionis ſtatus eſt, Eſſe animoſa fide
contemptorem mortis, uitæ, gloriæ & totius mundi, & feruen
te charitate omnium ſeruum. At uix inuenias uitæ & gloriæ cu-
pidiores, tum fide inaniores, qui mortem uehementius horre-
ant, quã ii qui ſunt monaſticiſſimi. Quia fieri non poteſt (uti
dicemus) quin fidem extinguant, qui uotis & operibus confi-

dunt. Confidunt autem, qui necessaria ea ducunt, dum enim timent illis omissis, necesse est ut sperent eisdem seruatis. Ab eodem pendent timor & spes. de quo alias. Merum cõmentum & ludibrium est, de perfectionis & imperfectionis statu, ex ignorantia fidei proueniens, tantũ ad seducendum, idoneum. Cum ergo uideamus monasticen istam refertam esse impietate, erroribus, ignorantia, ut ubicunq; eam spectes, ignorantiam, impietatem & errorem uideas, quid dubitas eam displicere deo, & uota in illam facta esse irrita & soluenda penitus? Hi sunt pseudochristi qui docent, hic & illic est Christus, & seducũt multos, atq; adeo electos quoq; signis & prodigiis mendacibus.

Error inquam & insignis ignorantia est, statum perfectionis metiri consiliis & non præceptis. Non enim ut ipsi fingunt consilia sunt supra præcepta, sed eduerso consilium illud continentiæ (neq; est ullum aliud consilium) est infra præceptum suum. Præceptum est enim, Non concupiscendum esse. At sine concupiscentia neq; uirgo neq; cœlebs est in hac uita, sed neq; cur illud sit consultum nouit hoc miserũ ignorantiæ uulgus. In hoc enim ipsi seruant consilium istud, quod continentia per sese sit laudatissimum opus, in quo sit salus & gloria, ideo sese cæteris Christianis præferunt magno interuallo. At Christus & Paulus secus docent, qui solam fidem iactant, & in hoc laudant cœlibatum, non quod perfecti sint in castitate præ cæteris, aut non concupiscant aduersus præceptum, sed quod soluti a curis & tribulatione carnis, quam tribuit Paulus coniugio, expeditius & liberius uerbo & fidei instare possint die ac nocte, ubi coniunx coniugi, filiis, familiæ & rebus huius uitæ deditus, auellitur & in multa aliena a uerbo negotia diuiditur. Sic Christus Eunuchos laudat, non quia castrent seipsos, sed quia propter regnũ cœlorum sese castrant, non autem sic propter regnum cœlorũ, ut per castitatem salui fiant, alioqui omnes oporteret castrari, cum sola fides saluos faciat, sed propter Euangelium, quod uocat regnũ cœlorum, cui prædicando & propagando per populos ille fœlicius seruit, q ἄγαμος & sine cura aliorũ cœlebs uiuit.

Seruam ergo regni cœlorum uult esse castitatem Christus, & seruam spontaneam, non quæ illud mereatur, sed iam habeat, & ad cõmunicandum aliis gratuito obsequio laboret, aut certe sibiipsi augeat, assidue parata propter ipsum mori & de mundo exire. Et Paulus idem dicit, Virgo & innupta cogitat quæ sunt domini, quomodo placeat deo, ut sit sancta corpore & spiritu. Quid est cogitare quæ sunt domini? nunquid solam & ociosam habere castitatem? imo meditari, seruire in uerbo dei, prædicare, testificari, & paratum sese pro illo offerre, a quo usu castitatis quid est alienius & longius monasticis istis? qui & omnium ignorantissimi sunt eius usus, cum non nisi sibi ipsis cœlibes sint, tantũ clamoribus & murmuri in templis seruientes, & aureolas sibi ipsis in cœlo promittẽtes, pro fide scilicet extincta.

Nõ hoc castitas nihil est /

Certe si rem tecum pensites, uideri potest Satanas in hoc excogitasse figmentum de consiliis & statu perfectionis, ut adornaret istam peruersam monasticen, cum enim uideret, nihil ibi uoueri, sed nec uoueri posse, quod non antea in baptismo uouerunt omnes (excepta continentia) cepit fingere perfectiones & consilia, ut cõmunem uiam contemptã & singularem istam falsa specie spectabilem redderet, ne paruas res uiderentur uouere, & præualuit in operatione erroris. Et quod multo est scelera tius, Ex multis illis prædictis consiliis a se confictis, tantum tria elegerunt, obedientiã, paupertatem, & castitatem, cætera neq; uouent neq; seruant, liberrime litigantes, uindicantes, odientes aduersarium, repetentes, non dantes, nõ mutuantes, adhuc tamen iactant, iam altero mendacio & illusione maiore, statũ perfectionis & consilia. Certe quando ista affirmant consilia & perfectiones, oportuit & ipsa uoueri, si uotorũ institutum, perfectionis & consiliorum status est. Iam si & tria illa electa consilia diiudices, uidebis obedientiam & paupertatem eorũ nullo modo esse quas consilia dictant. Consilia enim docent, omnibus subdi & superiores inuicem arbitrari. At uotũ obedientiæ eorũ eximit eos prorsus a catholica illa humilitate Euangelio tradita, & subdit solum suis maioribus, neq; iis ipsis, nisi secundum regulam suæ professionis, adeo ut & S. Bernhard. asserat, Mo-

Satanas excogitauit ofilia z vota mõhoꝝ /

Tria vota /

Obedit solus maioribus /

nachum non obligari etiam ſuo Abbati, alia quã regula habet imperanti. Obſecro, quæ & qualis eſt iſta obedientia, Ex omnibus eximi & uni, nec huic niſi partim ſubdi? Nonne pulchra illuſio eſt talis obedientiæ uotum? Euangelium omnibus ſemper & in omnibus cedere, ſubdi, obedire iubet. Et conſiliorum profeſſores nec æqualibus nec inferioribus, ſed uni maiori ſuo, nec in omnibus ſed aliquibus ſeſe ſubdunt. Iterum uides, fœlicitatẽ eorum, qui meliora eligunt quã Chriſtus docuit, & contempto duce, ſeipſos dirigunt. Hos proprie Petrus tangit cum dicit. ii. Pet. iii. Fore, qui ſecundum propria deſideria ambulent, in deceptione illuſores. Vere illuſores in deceptione iactant obedientiam, docent autem ac ſequũtur magis inobedientiam, illudentes tamen omnium ſenſum & decipientes ſimplicium animas ea pompa. Sic uides monaſticam uitam, errorum, mendaciorum, ignorantiæ, ſtultitiæ, deceptionis, illuſionis, confuſione, ueriſſimam Babylonem repreſentare, in qua electi miraculoſe, ceu tres pueri in fornace, ſeruentur. Quid ergo uouet monaſticus? uerba eius (ſi ſenſum traducas) erunt iſta. Deus, uoueo tibi, nolle me ſecundum Euangelium tuum omnibus ſubiici, ſed tantum uni maiori, nec niſi iuxta regulam præſcriptam, atq; ſic uoueo tibi Euangelium tuum ſeruare. Quid eſt hoc iterũ aliud, quã Euangelium uouendo negare & proprium condere? Hic cũ Iſaia poſſis dicere, Eorum uotum eſſe, ſicut ſi quis mactet filiũ in conſpectu patris. An non uictimant filium dei, dum Euangelium eius tam ſacrilege negant, & tamen hoc ipſo offerre deo præſumunt eundem? Obedientiã profitentur & obedientiam abnegãt, & tu uota iſta ſacrilega putas ualere & exigi apud deũ.

Tale eſt & paupertatis uotum, Euangelica paupertas eſt, nihil cupere in ſpiritu, & res libere adminiſtrare ad aliorum comodũ. Illi quid poſſunt ultra hoc uouere, niſi externum uſum rerum? cum & interna cupiditas in baptiſmo abnegata, & adminiſtratio externa rerum Euangelio etiam cõmendata ſit, & uſu ipſo nec ipſi carere poſſunt. Verum & hic illudunt ſeipſos & omnes, cum nemo magis res adminiſtret quã ipſi, tum non in aliorum ſed proprium comodũ nemo magis utitur ſub ſancta illa uoti

Qui maior eſt omnium fiat ſit minor.

In monaſterio uiuens ſemper & mſi Miſſir reb pueri in fornace, ſeruiuntur.

Monachi enim habundantiſſimi.

paupertate & auarissimi & rebus inuolutissimi facti. Adhuc iactant sese consiliorum professores, cum nulli seculares longius absint a paupertate. Nec refert, quod per alium res curant. Nam omnium consensu & uoluntate, œconomus illorum res curat. Sic dum uolant ultra Euangelium deserto duce Christo, ruunt in contrarium sub baratrum peruersissimi erroris, dicẽtes se obedientes & pauperes esse, cum sint omnium inobedientissimi & ditissimi, id quod nemo non palpat, & tamen sensus nostros perstringunt illusores isti uerbis suis fictis, obedientia, paupertas, consilia, perfectio, religio & similibus. Igitur nihil est consiliorum apud professores consiliorũ, sed omnia longe contrariissima præceptis, excepta sola castitate, & ipsa tamen sine usu & fructu Euangelico, quã quia nulla specie potuit Satan in contrariũ uertere, sicut obedientiæ & paupertati fecit, reliquit intactam, sed in multo maximã perniciem, dum & usum eius aboleuit, & ultra fidem cõmunem extulit, deinde uulgauit nimio ut per impossibilitatẽ naturæ infinitas animas laqueo illius innecteret & perderet. Ita reliqua est una castitas professoribus consiliorũ sed peruersa & impia, tum fere in totũ libidinibus corruptissima. Ve perditæ illi professioni consiliorũ & statui perfectionis, quid enim nisi error, illusio & impietas est totum quod pretendit? Sed iustus es domine & rectũ iudiciũ tuum, sic enim cadere debent, qui non solum similes, sed superiores esse uolunt altissimo, & pacti dei sui obliuiscuntur, sicut mulier illa Prouer. vii. quæ relinquit ducem pubertatis suæ.

Vt morbosum professori

In sanctis non opera sed fides spectãda.

Quemadmodũ itaq; dixi, sancto Francisco & aliis patribus, etsi tribuo errorem, quod Euangelium sibi usurparint seorsum, præ feruore spiritus, tamen hoc errore eos libero, ne credam eos mendacia & figmenta consiliorum, perfectionis, fictæ obedientiæ & paupertatis & peruersæ castitatis probasse. Dum enim spiritus sancti impetu & plena fide, ardenteq; charitate, solum huc ferrentur, ut Euangelio plenissime & dignissime respõderent, non hoc cogitabant, quorum esset & ad quos pertineret Euangelium, sed tantũ ut impleretur. Non enim in sermone sed in uirtute regnum dei habebant. Sectatores uero illorum ir-

Exemplar sanctorum prælb.

ruentes, apprehenderunt externã eorum conuersationem, spiritum autem & fidem eorum deseruerunt, & contigit eis, quod Chaldeis succendentibus fornacem Babylonis, ipsi pereunt, & sancti seruantur, pro eo quod iuxta psal. xxvii. Non intellexerũt opera dei, & facta eius nõ cognouerunt, ideo destruit eos & nõ ædificat eos. Dicit enim psal. lxxvi. Semitæ tuæ in aquis multis, & uestigia tua non cognoscentur. Et psal. iiii. Scitote quoniã mirificauit dominus sanctos suos. Et psal. lxvii. Mirabilis deus in sanctis suis. Et psal. xv. Sanctis qui in terra sunt & mirificis, omnis uoluntas mea in eis. His testimoniis docemur, in sanctis dei nõ esse obseruandam operũ externorũ laruam, sed fidem, qua eos regit & seruat mirabiliter, permittens eos sæpius errare & peccare externa conuersatione, quã illi tanquã opera dei & uiam rectam apprehendunt, & abeunt in barathrum errorum. Et Apostolus Heb. xiii. cum iussisset intueri præpositorũ exitum adiecit, ut fidem eorũ imitemur. Stat enim fixa apud deum sententia, Omnes sanctos eodẽ spiritu & eadem fide uiuere, agi & regi, sed diuersa opera foris operari. Vt enim non eodẽ tempore, ita nec eodem loco, nec idem opus, nec corã eisdem personis operat per illos, sed transit per tempora, loca, opera, personas uarias, semper eodẽ spiritu & fide eos regens, ut fiant uiæ eius absconditæ, & uestigia eius incognita, dũ unũquemq; alio opere, alio loco, alio tẽpore, aliis personis exercet, quã in aliis sanctis uidit et audiuit, cogiturq; opere, loco, tẽpore, personis, casibus sibi prius incognitis, regentem ac ducentem deũ sequi. Hæc est eruditio fidei, in qua omnes sancti eruditi sunt unusquisq; sua uocatione. Proinde impossibile est, ut intempestiui illi sanctorũ imitatores non errent perniciosissime, dum patrum opera etiã optima sectantur, potius quã fidem & spiritũ, nedum ubi et errores et peccata eorũ apprehendũt. Omnes. n. tales stant in ostio papilionis sui, et uident dorsum Mosi intrantis in tabernaculũ federis, existimantes sese deũ inuenire in istis propatuli et atrii operibus, cũ scriptũ sit, Dominus in loco sancto suo. Et, dominus pollicitus est ut habitaret in nebula. Lege totam scripturam, et uide an sanctorum uirorum idem fuerit opus.

Euangelicorũ pauci sunt qui sequuntur spem nõ hominis,

Non sequitur eos operum sed fidem,

Spes & fiducia in deo / In hanc rem mihi psalmus. lxi. uidetur esse reuelatus, quem non fuerit inutile hic recensere.

I At ad deum silentium animæ meæ,
Ab ipso enim salus mea.

II At ipse rupes mea & salus mea,
Protectio mea, non mouebor multum.

III Vsq; quo irruitis super uirũ, interficiemini omnes uos?
Sicut paries inclinatus & maceries expulsionis.

IIII At eleuationem eius cogitauerunt, ad expellendum,
Placebunt sibi in mendacio, ore suo benedicent,
Et intimo suo maledicent, Sela

V At deo sile anima mea
Quoniam ab ipso spes mea.

VI At ipse rupes mea & salus mea
Protectio mea non mouebor.

VII Ad deum salus mea & gloria mea
Rupes uirtutis meæ, fiducia mea in deo.

VIII Sperate in eum omni tempore, populi effundite coram eo cor uestrum,
Deus fiducia nobis, Sela.

IX At uanitas filii hominum, mendacium filii, uiri in stateris ad ascendendum,
Ipsi præ uanitate simul.

X Nolite sperare in calumnia & rapina, nolite uani fieri,
Diuitiæ si affluant nolite apponere cor.

XI Semel locutus est deus, bis hæc audiui,
Quia uirtus dei est.

XII Et tibi domine misericordia,
Quoniam tu reddes uiro secundum opera sua.

Non est alius psalmus, in quo toties ingeminetur & inculcet spes, fiducia, præsumptio in deum, Vigesies enim pene repetit ac totus psalmus fiduciam in deum sonat, cui omnũ fortissime resistit exemplum operum in sanctis. Hæc est enim uera uia salutis, subdi deo, in fide ei cedere & silere, ponere tumultũ præsumptionis operũ, quibus querunt impii eum inuenire, et sese

du ctilem

ductilem prebere, ut ipse in nobis operetur, non nos operemur. Videmus enim in sanctorum sectatoribus nihil nisi tumultum operum, quæ in sanctis uiderunt, iis enim die et nocte sese fatigant, nunquã autem silent deo subditi per fidem, ideo mouent et sunt instabiles corde, cum non possit cor per opera quietari, fiducia eorum est in operibus ab exemplo sanctorũ petitis, quibus præsumunt peruenire, quo illi uenerunt sola fide. Inclamat autem præcipitem illorum cœcitatem, qua gregatim irruunt ad imitandum opus alicuius magni uiri, et non potius et prius sidere discunt et fidere deo. Cur (inquit) sic irruitis in laruam operum? cur interficitis uos ipsos omnes? curritis et præcipitatis uos ipsos omnes in mortem. Deus est murus altus et fidelis protectio, sicut Salomon dicit. Turris alta (id est, alte opposita) nomen domini, ad ipsam currit iustus et saluabitur. Contra, uos et quicqd molimini, erit, sicut paries inclinatus et maceries eiecta, super quã qui nititur simul cadet et eiicietur et mouebitur multum. Vocabulũ irruitis, uolunt etiã significare, id quod cõgregari, itẽ praueſcere, utrunq; confirmat sensum prædictum.

Obscurum autem et ambiguum est quod sequitur. At eleuationem eius cogitauerunt expellere. Noster habet, uerumtamẽ precium meum. Romanum psalt. honorem meum. Hiero. partem meam, scilicet oblationem. Ab eo enim uerbo oblationes, dona et partes sacrarũ rerum dicuntur ab eleuando. Puto igitur sensum esse, Impios in sanctorum exemplis, id quod solũ præciosum, honorabile, nobilissimum atq; adeo ipsa portio sanctitatis, nempe fidem, non solum non sequũtur, sed uno consilio seu furore potius id agunt, ut eiiciant & extinguant, solis operũ laruis iactatis & prædicatis. Nemo enim minus sequitur sanctorum exemplum, nemo etiam magis extinguit quã qui opera sola & nõ fidem eorum sectantur, sic nemo minus est hodie Franciscanus, quã ipsi Franciscanissimi, qui de obseruantia dicuntur, imo ii acerrimi hostes eius sunt, & fidem eius eiicere cogitant furiosissime. Vnde sequitur, Placebunt sibi in mendacio, scilicet speciem tenent, fidem uastant, & in hoc gloriantur, sibiq; placent præ omnibus hominibus ceu sanctissimi, ore benedicunt,

Nõ q̃ sumus justificatos opa nri z nõ fidez

De obseruantia fratrũ fidez viuũt

intimo maledicunt. Laudant enim deum Christum, S. Franciscum, Dominicũ, & alios quorũ sectatores sese iactant. Sed hæc laus est summa blasphemia, dum fidem eiiciunt, & solam speciem pro ueritate amplectũtur. Ex his iã totus psalmus apertus est docens nos fidere deo, & sine fide omnia esse mendacia. Isaias.xxx. hunc psalmũ uel æmulatus uel interpretatus etiam, populus em̃ ad iracundiã prouocans est, filii mendaces, filii nolentes audire legem dei. Qui dicunt uidentibus, nolite uidere, & aspiciẽtibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, uidete nobis errores, auferte a me uiam, declinate a me semitã, cesset a facie nostra sanctus Israel. Propterea hæc dicit sanctus Israel, pro eo quod reprobastis uerbũ hoc, & speraſtis in calumnia & tumultu, & innixi estis super eo, propterea erit uobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens & requisita in muro excelso, quoniã subito dum non speratur ueniet cõtritio eius. Et infra, Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. In silentio & spe erit fortitudo uestra &c.

II. VOTA ADVERSARI FIDEI.

AEC modo satis sit dixisse de uotis monasticis, ut aduersentur uerbo dei. Pergamus demonstrare ut pugnent & fidei Christianæ, quo plenius cognoscamus hanc esse principem partem abominationis stantis in loco sancto. Ponamus autẽ hic petram seu rupem nostram, quæ nostrum est principium fidei. Verbum Pauli Roma.xiiii. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Ex quo inferimus, monastica uota, si ex fide non sint, esse peccata. Ex fide autem non sunt, si perpetua, necessaria & non libera sunt, potentia tum seruari tum dimitti. Sed quia hæc uel aduersariis uel infirmis uenient in manus, occurrendum est eorum effugiis, & præoccupanda uada Iordanis huius, ne nobis elabantur principes isti madianitarum. Primo enim negabunt fidem, eo loco, fidem Christianam esse, habentes humanam glosulam tum obscuriorem ipso textu, tum ab

Pauli locus declarat, Quod non est ex fide, peccatũ est

ipsismet nunquam intellectam, ut more suo scripturæ uim eludant eiusmodi cõmentis, quibus plus credunt, quã puris & apertis uerbis dei, nulla causa, nisi quod principio perfidiæ suæ repugnant, quo statuerunt, non omnia extra fidem esse peccata. Huic mendacio aduersus deum erecto, cum Paulus resisteret, coactus est laruam glosæ induere & illorum sensui cedere. Est autẽ glosa eiusmodi, fidem eo loco accipi pro conscientia. Esse igit non ex fide, est contra conscientiam agere. Agens autem contra conscientiam ædificat ad geennam. Hæc retuli, ne putent, nos eorum magnificam sapientiam neq; nosse neq; legisse. Deinde & hoc multo maxime negabunt, Vota necessaria esse sine fide. Habent enim fidem multiplicem, generalem, specialem, acquisitam, infusam, informem, formatam, catholicam, particularem, implicitam & explicitam, hoc est, confusissimam Babylonem errorum & opinionum. Cogimur itaq; ne amorreis & ranis istis nihil scire eorum uideamur, aduersus ista disputare, & nostram rupem non quidem firmare, sed firmam monstrare, dispulsis fumo nubibus & nebulis per homines excitatis.

fidem multiplicez ferret ß pessime

Christus dicit, Qui nõ crediderit cõdemnabit Marci ult. Et Iohan. viii. Si nõ credideritis qa ego sum moriemini, in peccato uestro. Et Iohan. xvi. Ille arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Da igitur monachum castum, obedientẽ, pauperem & omnibus uirtutibus refertum, operantem quantacunq; sine fide, nunquid non damnabitur? Nonne manet sententia, Qui non crediderit condemnabitur? Nonne peccatum habet quod arguit spiritus? Nonne morietur in peccato suo? At mors, damnatio, reprehensio, non infertur ei, qui non peccat. Nec est, quod hic eludant & dicant, Peccatum infidelitatis quidem damnari, sed non omnia quæ fiunt in peccato infidelitatis. Scilicet fructus bonos feret arbor mala? & in peccato facta non sunt peccata? In proposito adulterandi dare panem egenti peccatũ est, & uouere in proposito nõ credendi nõ peccatũ est? Sed & Iohan. iii. obstruit hoc os impiũ dicẽs. Qui nõ credit iã iudicatus est. quia non credit in nomine unigeniti filii dei. De qua rogo fide hic loquitur? infusa, acquisita, generali &c?

Nonne de ea quæ uiuificat? ſine qua, qui fuerit, iam iudicatus eſt. Et iterum, Qui non credit filio, non uidebit uitam, ſed ira dei manet ſuper ipſum. At ira dei non manet ſuper eos qui non peccant. Si ergo opera extra fidem peccata non ſunt, ceſſat ira ſuper operantem talia, & per opera auertet iram a ſe, ut fide nō ſit opus, quo quid eſt blaſphemum magis?

Petra ergo noſtra firma inuenitur, & diſpulſis nubibus principium perfidiæ illorum ſubuertit, ſtat quoq; Paulus incōcuſſus, Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, nec curat, quod ſententia illis dura uideatur. Dura fuit & mors Chriſto pro nobis ſuſcepta, magnum fuit filium dei incarnari & dari pro nobis. Nihilo tamen minus factum credimus. Non oportet ſequi in rebus dei noſtrum iudicium, nec definire, ſecundū quod noſtro ſenſui aliquid durum, molle, graue, leue, bonum, malum, iuſtum, iniuſtum uidetur. Non facies (inquit Deutro. xii.) quod tibi rectum uidet, ſicut faciūt tamē impiiſſimæ facultates ſcholarum, omnia diuina ad humani ſenſus iudicium æſtimantes, & pro petris fidei arenas & paludes perfidiæ ſuæ in principia fidei collocātes. Sed ad uerba fidei aptandus eſt noſter ſenſus, captiuanduſq; intellectus in obſequium Chriſti. Id quod non fecit impudentiſſimæ frontis & proſtitutæ iam olim pudicitiæ meretrix Parrhiſieñ, quæ nuper auſa eſt diuaricari pedes ſuos, & toti orbi turpitudinem ſuam obſceniſſimam diſcooperire & dicere, legem de non uindicando ideo cenſeri conſilium debere, nō quia id ſacræ literæ docerent, ſed quia humanus ſenſus dictet, hoc eſſe oneratiuum legis Chriſtianæ, Eadem pietate dicent, infernum non eſſe, ſed minari tantum ſcripturas quod ſenſus humanus abhorreat, unū hominem perpetuo cruciari, quo ſenſu Origenem, aiunt lapſum fuiſſe. O ſcholas, o facultates, o Theologiſtas, feces nouiſſimæ ſentinæ. Sic intellectum ueſtrum (id eſt, uerba dei) captiuatis in obſequium Chriſti (id eſt, in ſenſum ueſtrum) Decernimus itaq; hac autoritate diuina, & cum fiducia audemus dicere. Hæc dicit dominus exercituum, Vota monaſtica extra fidem facta & ſeruata ſunt peccata, per hoc & irrita, damnabilia, reuocanda & omittenda, aut aliter denuo uouenda & ſeruanda.

Sophiſte christus ſubmittit se ad ſenſum ſuum

Iam quod fidem hoc loco faciunt conſcientiam, mera temeritate hominum faciunt. Neq; enim unum iota e ſcripturis adducunt, quo probarent fidem aliquando hoc modo accipi, mihi nondum eſt uiſus locus, in quo fides aliter quã ubiq; & uniformiter accipitur pro fide Chriſtiana, quod prolixius eſt, quã ut nunc res paciatur oſtendere. Feramus tamen hanc eorum obſcuram gloſam & malo iſto humano bene utamur, per ſpiritũ nobis donatum. Si enim recte conſcientiam ea gloſa intelligerent, non male dicerent. Veriſſimum eſt enim, ſi quippiam opereris & credideris te hoc ipſo male operari, tete peccare, & (ut aiunt) ad geennam ædificare. Sed hoc errant, quod hanc conſcientiam non faciunt catholicam in omnibus operibus extra fidem Chriſti factis, ſed certis eam duntaxat caſibus deputant, in quibus erroneam conſcientiam haberi dictant. Hoc ideo errant quia oculos ſolum figunt in craſſa iſta libidinis, iræ, cupiditatis, peccata, uerum in ſublimia iſta & profunda cordis peccata, conſcientiam talem nunquã promouent, quod nos, age, tentemus an facere poſſimus. Si aliquod opus facias, quod non credas firmiter deo placere, aut dubitas placere, nonne contra conſcientiam facis? facis enim, & non credis deo placere, ſi autem non credis placere, conſcientiam habes, opus non eſſe placitũ. Et ſic contra conſcientiam operaris id, quod non eſſe placitum deo dictas. Sed nonne talia ſunt omnia uota & uotorum opera extra fidem? Da unum, qui audeat aſſerere, ſuum uotum eſſe placitũ ac gratum deo. Quin hoc aſſerere, docent eſſe præſumptionem, uolentes, ut timeamus & incerti ſimus. At deus iuſſit certo & indubitato fidere in ſuam miſericordiam, & præſumere nos & noſtra placere, non ex noſtra dignitate aut merito, ſed ſua bonitate. Hæc eſt enim cõſcientia ſanæ fidei, quæ huic iuſſui & promiſſioni dei fideliſſime & inconcuſſe adheret, quã conſcientiam uaſtat & contra eam peccat, illa quæ uel non credit, uel quod idem eſt, dubitat, ſe & ſua placere deo, ideo & contra ſeipſam & illam ſimul peccat, faciens quod non credit placere.

Quis uero liberat nos ab iſta impia contra ſeipſam peccante conſcientia? Natura id non poteſt, quantumlibet eã opereris

Fides nõ ſumit p gloſia. Sed ſumit p fide chriſtiana,

Recte ne fide pro cõſcientia expoſuerint?

Qui nonnisi op. ſunt placitu deo nõ putant,

bona, si & sanguinem fuderis, semper manet conscientia palpitans & dicens, Quis scit an hoc deo placeat. Verũ est enim illud sapientis, Cogitationes hominũ timidæ & incertæ prouidẽtiæ nostræ. Non ergo habet natura, nec impetrant opera bonam & certam conscientiam. Christus uero per auditum uerbi sui, cordi manifestatus, quod ipse sit, qui pro nobis sacerdos factus est, nobis datus, suũ sanguinem fuderit, nostra peccata tulerit, & nos in suos acceperit. Hic, inquã, auditus cor letificat, conscientiam erigit, ut audeat dicere & gloriari in ipso. Si Christus pro me & meus est, quis contra me? Quomodo nõ placeam ego & opera omnia mea, si Christus meus & ego Christi? Nunquid Christus displicere potest. Ecce ista est fides, quã scriptura docet, quã qui habet, contra conscientiã agere non potest, quia non potest dubitare sese placere deo propter Christum sibi donatum. Qui uero non habet, nõ potest nõ contra conscientiã agere semper, qa nõ potest nõ dubitare, sese placere deo. Deest. n. & promissio dei & pignus promissionis Christus, relicta sola natura sibi incerta, quid deus de se cogitet, at habens promissionẽ & Christũ, certissimus est, quid deus super ipsum cogitet, nempe cogitationes pacis, propter sanguinem Christi clamantem remissionem peccatorum & abba pater in cordibus nostris. Igitur cogitatiões mortalium timidæ, quibus nos non uult niti, dedit ergo promissionem misericordiæ, iussit fidere, adiecit inæstimabile pignus filiũ suum unigenitum, ut super cogitationes eius per promissionem manifestatas, per Christum sigillatas, nitamur certi & firmi etiã aduersus portas inferi, adeo ut si etiam labamur & peccemus, mox resurgamus, semper scientes nos nõ placere nõ posse propter Christum, qui propter nos non possumus non displicere. Hoc sensu, glosa ista pia & boni usus erit, atq; cum Paulo & tota scriptura per omnia conuenit. Vere enim contra conscientiam operatur, & peccat qui nõ credit seu Christum nõ habet. Et econtra, uere non credit, qui contra conscientiã operatur, ut stet sententia, Qui non crediderit condemnabit, quia nõ credit sibi peccata indubitato remissa, quæ conscientia mergit eum in damnationem manens onerata peccatis.

Fides cõscientiæ securitas.

Credo q̃ opa mea ꝓ placere deo /

Doctrina christiana ꝓmissiõis

Nunc latius uidendũ eſt, ut monaſtica uota ſint ſine fide. De monſtratũ & inuictis teſtimoniis firmatum eſt, Omne quod nõ eſt ex fide peccatum eſſe, Solius autẽ fidei eſſe, remiſſionem peccatorũ operari, certam & letam & liberam a peccatis cõſcientiã reddere. Opera uero ſeu fructus fidei proprie nõ pertinent ad remiſſionẽ peccatorum & letã conſcientiam, ſed ſunt fructus iam præſentis & præcedẽtis remiſſionis & bonæ cõſcientiæ. Memento quæſo iſtorũ lector quã poteris diligentiſſime, Opera ante fidem eſſe peccata, ſolam fidem ſine operibus operari remiſſionẽ peccatorũ, iuſtificationẽ & bonã conſcientiã, Opera uero poſt fidem eſſe fructus iam iuſtificati hominis ex remiſſione peccatorũ & bona conſcientia, hoc eſt, ex fide & charitate proueniẽtes. Memento inquã horũ, Nam hic eſt ſpiritus qui flabit in fenum uotorũ & florem eorũ, & exiccabit fenũ & cadet flos eorũ. Nõ humana ſed diuina ſunt quibus nitimur. Stat. n. ante fidẽ & ſine fide Chriſtiana uiuificante illa & optima, nõ modo remiſſionẽ peccatorũ aut conſcientiã bonam per opera aut uota fieri non poſſe, ſed neceſſario peccata eſſe, quæ fiunt. Hic iã uidebis, qua pietate iſti uoueant ſua uota, & quæ ſit fides eorũ generalis, acq ſita, infuſa, in qua uouent, an Iudæos uel Chriſtianos eos exiſtimare debeas. Paul. dicit ad Gal. iii. Lex nõ eſt ex fide. Et iterũ, Ex operibus legis nõ iuſtificat omis caro corã illo. Et q iuſtitiã legis ſectant, in iuſticiã legis nõ peruenium, quæ oia cũ præcedẽtibus hoc definiũt. Qui remiſſionẽ, ſatisfactionẽ peccatorũ, iuſtificationẽ, alteri quã fidei ſoli tribuerit, & aliunde quã per fidẽ quæſierit, hic Chriſtũ negauit, gratiã abiecit, & Euãgeliũ reliqt apoſtata. Sic. n. Paulus Galatis intonat, a gratia excidiſtis qui ex lege iuſtificamini. At uota & opera uotorũ, lex & opera ſunt non fides nec ex fide. Quid eſt. n. uotũ niſi lex quædã? teſte ipſorũmet uoce, qua dicũt id quod ante uotũ liberũ erat, poſt uotũ neceſſariũ eſt, & iã non conſiliũ ſed præceptũ eſt. Qui ergo ea opinione uouent, ut per hoc uitæ genus boni & ſalui fiant, peccata deleãt & operibus bonis diteſcãt, nõne manifeſtũ eſt impios & Iudæos eſſe, a fide apoſtatare, imo fidem blaſphemare & abnegare? dũ hoc tribuũt legibus & operibus ſuis, qd proprie ſolius fidei eſt.

Votum legis opus.

De quibus egregie Paulus prædixit, In nouissimis diebus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium. Istam discessionem & apostasiam. & ad Tessalonicen̄ memorat. Vbi est autem discessio ista, nisi ubi ad opera itur, & id operibus tribuitur, quod fidei est?

Opa z fidē ḡtia ꝓ fit christo z papa,

Infidelitas vouentium.

Interrogemus nunc omnes uotarios istos, qua opinione uoueant, et inuenies eos hac opinione impia possessos, quod arbitrentur gratiam baptismi irritam factam, & iam secunda tabula pœnitentiæ naufragium euadendum esse, ideo quærendum per uotiuum uiuendi genus, non solum ut boni fiant & peccata deleant, sed etiam abundantius pœniteant, & cæteris Christianis meliores fiant. Hæc omnia illos querere in operibus & uotis, & non in fide, certissimum est, testis est eorum uox, ubi dicunt. Si hæc non quærerem nec inuenirem quid quærerem in monasterio? quid laborarem? Si enim scirent, sola fide hæc prestari et accipi, utiq; inferrent, quid ergo necesse est uouere & monachū fieri? Statim enim superfluum et non necessarium esse hoc uitæ genus intelligerent, tam ad iustitiam quā ad salutem, imo uanum et aduersarium. Quā primū fidei scientia reuelatur, cætera omnia non necessaria ad iustitiā inueniuntur. At si hoc sciissent, nunquā uouissent. Nemo enim in uanū laborare uellet, maxime tanto totius uitæ labore. Quare hoc testimonio cōuincūtur sese ideo uouisse, quod uotiuum hoc genus uitæ utile & necessarium duxerint ad iustitiam seu bonam uitam, imo nihil utilius & melius duxerint. At ea opinio est impia, sacrilega, aduersaria fidei, quæ sola necessaria & utilis, nihilq; ea utilius & necessariū magis est ad iustitiam. Ad uero multo fortius & certius conuincit eos, non alia quā hac infideli et impia opinione uouere et uiuere, quod principium perfidiæ suæ palam docent, & dicunt, hominem posse suis operibus naturalibus, gratiam et remissionem peccatorum obtinere. Sic enim sapiunt omnes, ideo enim et uouent, ut hoc uitæ genere, gratiā dei obtineant, iuxta principium prædictū perfidiæ, quo quid faciunt, nisi q̄ Christum negant, & a fide discedunt? Quod si qui inter eos sunt, qui non

Ob voūm vt mi" liores alijs fiant,

Si nōn sciissent fidē solā ad vitā eterna intrasset

fides sola necessaria ad fēm, iustitiā

ita

ita ſapiunt, cum nec aliud audiant nec uideant. Hos neceſſe eſt in medio impiæ doctrinæ & infidelis uitæ, ceu pueros in camino ignis Babylonici, ſolius uirtute dei, intus recte docentis, & potenter ſeruãtis cuſtodiri miraculoſe. Proinde ſi nulla alia eſſet cauſa reuocandi & relinquendi uoti monaſtici, hæc impietas negati Chriſti & repudiatæ fidei abunde ſatis urgeret & compelleret. Nemo ſatis penſare poteſt, quã graue & uehemens ſit uerbũ Pauli, quod recitauimus. In nouiſſimis diebus diſcedent quidã a fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere & abſtinere a cibis quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus & iis qui cognouerunt ueritatem.

Ad Timoth. 4.

Ego plane huius ſolius uerbi autoritate, cum ſit uerbum ſpiritus ſancti, qui eſt deus noſter benedictus Amen, auſim uniuerſos monachos a ſuis uotis abſoluere, & cum fiducia pronũciare, uota eorum eſſe coram deo reproba & nulla. Antea enim ſolos ſacerdotes a cœlibatu uirtute huius uerbi abſolui, ſed propius mihi rem ſpectanti & uerba Pauli diligentius conſideranti, occurrit doctrinam eius catholicam & generalem eſſe in omnes cœlibes, tam monachos quã ſacerdotes. Proinde utile fuerit paulo accuratius Paulum obſeruare. Ac primum ut illos penitus confutemus, qui Papam, ſacerdotes & monachos honeſtaturi, hũc locum ad Tacianos torquent, nec ſinunt de noſtro cœlibatu intelligi. Ipſa uerba cogunt non de Tacianis ſeſe intelligi. Taciani enim non prohibebant modo, ſed damnabant in totum coniugium, dicentes ipſum & malum & peccatum eſſe. Similiter & cibos Manichei non prohibebant modo, ſed damnabãt, ut qui mixti eſſent portione tenebrarum &c. Sed Papa & Papiſtæ nec cibum nec coniugium damnant, prohibent ſolum nubere & abſtinere a cibis bonis, quos confitentur a deo creatos, faciunteq; id ſpecie maioris religionis, quod Paulus palam tangit, cum dicit, In hypocriſi loquentium mendacium. Non enim Papiſtæ neceſſarium eſſe docent aut diuinitus præceptum, a cibis & coniugio abſtinere. Scientes & prudentes prohibent pro-

Dona reiad deo reproba M.

Monaſtice doctrina dæmoniorum.

Tariani no prohibebant & damnabant nubere

Manichei no prohibebant & damnabant

papiſti non ſed ſeriũ

Lege G. Bern. de ſup cauteria. Clemonez lib. 7 hibis of precepti ſpiritu papiſti

pria autoritate ad hypocrisin instituendam. Taciani uero & Manichei necessarium ac diuinitus præceptum uideri uolebant suũ cõmentum, non sciebant propriũ esse, quod docebant, nec specie maioris pietatis, sed ueritate & necessitate uniuersalis pietatis credebant se moueri. Habemus itaq; hunc locũ Pauli, plane nostros cœlibes tangentem, Papam, sacerdotes, monachos & moniales. Atq; ut demus quã maxime Paulum de Tacianis & Manicheis loqui, per hoc non potest negari quin & de Papistis loquatur, quatenus cũ illis sentiunt. Nunquid ideo non loquitur contra Sabelliũ Iohannes Euangelista de diuinitate Christi, qa eius uerba pugnant contra Arrianos? Aut nõ loquitur contra Cherinthos, quia uerba eius confutant Iudæos? Aut nõ ualent contra Turcas, quia ualent cõtra gentiles? Prorsus contra omnes ualent & pugnant, quocũq; nomine, quacunq; secta censentur, quatenus negant Christum esse deũ, siue alias illis cõueniat siue minus. Ita & hic Pauli locus omnes damnat, qui prohibent nubere, & docent abstinere a cibis. siue sint Taciani, Manichei, Turcæ, Papistæ, aut quicunq; alii. Nam & Turca a uino abstinet specie religionis. Cum itaq; negari nõ possit, a Papa coniugiũ prohibitum sicut & cibos, manifestum est ipsum spiritu sancto resistere in hoc uerbo Pauli, & doctrinã suam esse dæmoniorum, & erroneam & meram hypocrisin. Habet hic aliquis quod possit opponere? sunt ne hæc clarissima & inuicta? Esto Papistæ non sunt Turcæ, neq; Manichei, neq; Taciani, nec tales accusamus, sed quatenus cũ Turcis, Manicheis & Tacianis cõsenciũt, accusamus. Turcæ nõ sunt, faciũt tamẽ ac docent ea quæ docẽt Turcæ.

papa ex dæmonijs prohibet q̃ spiritus sanctus

papa nõ Turcæ parit ripas

Cum ergo hæc ita habeant, ut monastica uota per diuinam spiritus definitionẽ pronuncientur esse doctrinæ erroneæ & dæmoniacæ & hypocriticæ, quid adhuc trepidas ea reuocare & deserere? An' trepidas spiritum creatorem tuum audire & sequi? Metuis ne spiritus ueritatis tibi mentiatur, aut irascatur, si obedieris uoci eius? Si scires tete uouisse, ut sacrilegiũ faceres, utiq; uotum cassares & mutares, cur non & hoc mutas & cassas? Sed id fortassis te moratur, quod & me hactenus moratũ est. Quod Monachi non docent, sed sua sponte sese tradunt in hoc genus

doctriuæ & hypocrisis. Sacerdotes uero præcepto Papæ cogun-
tur, non sponte uouent. Atq; hoc spontaneum uotum a nullo
exactum uehementer me mouit hactenus. Iam uero nõ mouet
amplius. Primum, quod Paulus tam libero spiritu affirmat do-
ctrinas erroneorum spirituum & dæmoniorum mendaces esse,
quod & ipsa res cum uerbis Pauli faciens probat. Docent enim
per opera iustificari & saluari, & discedunt a fide, cum suam obe
dientiam, paupertatem & castitatem nõ solum arbitrentur esse
certas uias ad salutem, sed & perfectiores & meliores, quã reliquo
rum fidelium, quod est euidens & apertum mendacium & error
& peccatum in fidem. Nihilq; reliquũ est illis nisi hypocrisis &
cauteriata conscientia. Deniq; uelut non passuri, ut quis Paulũ
de ipsis loqui dubitet, latius insaniunt, & produnt sua menda-
cia impudenter. Vendunt enim & cõmunicant sua bona opera,
merita & fraternitates aliis, quasi ii sint, qui non solum meliore
uia incedant, sed & ex abundantia sua, alios quoq; secũ saluos
facere possint. Nunquid ista fieri ab eis publice & passim negare
quisquam potest? At operibus tantum tribuere, ut non modo
sua ipsorum, sed & aliorum quoq; peccata deleant, nec solis sibi
sed & aliis ad salutem prosint, quid potest in Christum & fidem
eius blasphemius & insanius cogitari? Qui Iudæi? qui gentiles?
qui Turcæ æque insaniunt? Nonne hoc est non modo suas pro
prias sed & aliorum conscientias inuitare & allicere ad confiten-
dum super illorum opera & merita? At quid est hoc nisi fidere
execrabilissimo mendacio? pro quo tamen mendacio, totius
mundi opes deuorant ociosi & delicati. Deniq; nuper ad finem
insaniæ uenerunt, promittentes hominibus introitum cœli,
qui morituri cucullum induerint. Quid est abominatio, si hæc
non est abominatio? Vides ergo, imo palpas hic, non modo
discessisse eos a fide, sed mendaciis illorum abominandis sedu-
ctum quoq; et orbem. Sua enim cuiusq; fides & necessaria et satis
est ad remissionẽ peccatorum & ad salutem, quæ nobis Christũ
affert, hoc est, unam carnem, os ex ossibus, & omnia cõmunia
cum illo facit, ut in ipso & de ipso glorietur conscientia nostra,
quod ipsius solius sanguine & meritis tum iustificati uiuimus,

Sacerdotes præcepto Papæ cogunturur, non sponte uouent.

Vanissima persuasio de operum monasticorum dignitate.

Communicant opera supererogatoria aliis.

Morituris non cuculli induunt vt salui fiant.

tum ſaluati inæternum uiuemus, ſine operibus tam noſtris propriis quã aliorum. Fides enim Chriſti non poteſt pati, ut uel noſtris uel aliorum operibus gratia & iuſtitia ueniat. Hoc enim ſolius Chriſti eſſe ſcit & confitetur conſtanter, quã ſi illi docerent, non ſua opera uenderent aliis, ſed ſe & omnes ab operum fiducia in ſolum Chriſtum raperent, ſimul oſtendentes, quã nihil ſit neceſſarium ad iuſtitiam, ad ſalutem, ad remiſſionem peccatorum ſuũ uotarium uitæ genus, ſed ſolã fidem eſſe neceſſariam.

Hos proprie Chriſtus prædixit Matth. xxiiii. Multi uenient in nomine meo dicẽtes, Ego ſum Chriſtus. Obſerua quæſo uerba Chriſti, In nomine meo uenient dicentes, Ego ſum Chriſtus. Papiſtæ illi religioſi nunquã appellant ſe uocabulo iſto, Chriſtus, nullus dicit, Ego uocor uel appellari uolo Chriſtus. Omnes autem dicunt, Ego ſum Chriſtus, nomine abſtinent, ſed officium, opus & perſonam arrogant. Quæris, quomodo id faciant? Audi, Chriſti ſolius proprium eſt, ſuis meritis & operibus iuuare & ſaluare alios. Cæterorũ opera nullis nec ſibiipſis proſunt, quia ſtat ſententia, Iuſtus ex fide ſua uiuet. Fides enim nos ſuper opera Chriſti ponit, ſine operibus noſtris et trãsfert de exilio peccatorum noſtrorum, in regnum iuſtitiæ illius. Hæc eſt fides, hoc Euangelium, hic Chriſtus. At Papiſtæ hanc fidem quo ducunt? Nonne ſuper ſeipſos? Docent enim homines fidere ſuper ſua merita, & cõmunicant opera ſua & fraternitates ſuas cæteris peccatoribus, ut peccata eorum portent & deleant, iuſtoſq; & ſaluos faciant. Nonne hoc eſt dicere, Ego ſum Chriſtus? Nõne hoc eſt facere quod Chriſtus facit? Non iam ſunt Chriſtiani ſed Chriſtus. Quia Chriſtiani diffinitio eſt hæc, credens ſolius Chriſti operibus ſolis ſine propriis iuſtificari, a peccatis liberari & ſaluari. Chriſti diffinitio eſt, Qui ſaluũ facit populum ſuum a peccatis eorum, donans illis ſua propria merita & uniuerſam iuſtitiam. At hoc faciunt noſtri monaſtici. In nomine (inquit) meo uenient, hoc eſt, faciunt iſta, non ut gentiles, ſed ut Chriſtiani, imo ut Chriſtianiſſimi. Non enim ſinunt quenquã alium de nomine Chriſtiano ſuperbius gloriari. Recordor hic, quod ſæpius audiui, quoſdam ex iſto hominũ genere morituris pecca

Monaſticorũ opera quomodo fidem obſcurent.

toribus dediſſe omnia ſua bona opera in hanc uocem, Ecce do tibi, quicquid boni feci in uita mea, Volentes hac inſania, charitatis opus ineſtimabile impleſſe, dum miſerum illum hominē a Chriſto retractum in opera hominis fidere fecerunt. O horrendas tenebras, o miſerandas cæcitates, o abominandas inſanias. Siccine Satan ludis in animabus pereuntibus & perdentibus?

Ex his fructibus ſuis credo ſatis cognoſci lupos iſtos rapaces, qua opinione uoueant & uiuant, ut nemo poſſit negare, Monachum fieri (niſi miraculo ſeruetur) id eſſe quod a fide apoſtatare, Chriſtum negare, Iudæum fieri, & ut Petrus prædixit, ad uomitum gentilem redire. Vides enim nihil niſi opera ſpectari ab iſtis perditis hominibus, & talia opera quæ Chriſti operibus æquant, ſola hac cauſa, quia prætexto nomine Chriſtiano, a Chriſtianis facta putāt, in fide illa ſacrilega & abominānda, quā generalem & informem uocant. Igitur ſic dixi, amplius me nō moratur ſpontaneum illud uotum monachorum, quo minus omitti & poſſit & debeat. Quid enim eſt uotum hoc, niſi pactū cum dæmonibus factum? doctrinas dæmoniorum, errores & mendacia tete uouiſſe dicit ſpiritus deus tuus, & tu dubitas an reſilire & relinquere uotum debeas? Aduerte ad Paulum qui non ſolum docentes aut cogentes ſed & attendentes memorat, imo de attendentibus potiſſimū loquitur, dicens. Diſcedent a fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. Vides hic auditores & ſequaces primo loco nominari. At monachi certe dum ſpontanee uouent, non docent hæc mendacia, ſed docti & ſeducti ſequūtur. Quare Paulus prorſus uniuerſaliter loquitur, in omnes cœlibes iſtos, et nullos excipit. Et quid multis agimus? cui hoc non ſatis eſt, quod ſpiritus definit doctrinas dæmoniorum, mendacia, errores, hypocriſin eſſe, quæ uouentur, quid illi ſatis erit? Quis pactum dæmonibus ſeruat, ut ſaluus fiat, ac non potius quā primū diſſoluit & ceſſat? Atq; demus ut fide pura miraculoſe ſerueris uouens & uiuēs in uotis, ſicut Bernhardus & multi alii ſeruati ſunt, quibus propter fidem Chriſti, qua pleni erant, uenenum hoc non nocuit. Adhuc tamen quando autoritate diuina conſtat, doctrinas eſſe has dæmoniorum,

mendaces, quæ natura ſua fallunt & ſeducunt, cũ non poſſint aliud quã opera docere, potes & debes uotũ in eas ſeruandas factum abrumpere. Nullius enim ſancti exemplo fient doctrinæ dei ex doctrinis hominũ. Doctrina dei docet fidẽ, ultra quã docere ſeſe iactant uotarii aliud. At illud aliud nõ eſt nec eſſe poteſt niſi opus. Opus uero nõ poteſt doceri niſi ledas fidem, cũ fides & opera in re iuſtificationis extreme aduerſentur. Ita fit, ut doctrina operũ neceſſario ſit doctrina dæmoniorũ & diſceſſio a fide. Nemo autẽ opera docet, quod ea nõ neceſſaria putet ad iuſtitiam et ſalutem, niſi.n. neceſſaria putet fruſtra docebit. Quid alioqui doceret ea? et quis ea ſequeretur & ſeruaret, ſi aliã uiam iuſtitiæ & ſalutis noſſet? Recte ergo dixit Paulus, Lex nõ eſt ex fide, & ex operib. legis nemo iuſtificat. Ita neqꝫ uotũ eſt ex fide, nec ex uoto iuſtificatur omnis caro. Et omnia quæ Paulus ad Galatas diſputat aduerſus legem & opera eius, pertinent etiam aduerſus uotum & opera eius. Siue ergo pia ſiue impia opinione uoueantur, rumpenda ſunt, ut diuinitus reprobata et in res diuinitus reprobatas facta.

Fides = opera mdꝫ gnomiũ

Excuſat ſanctos monachos.

Quare, Bernhardus & alii qui pia opinione uouerunt & uixerunt in uotis, comparandi ſunt ducentis illis uiris, qui cũ Abſolom iuerunt de Hieruſalem in Hebron, molienti ſeditionem aduerſus regnũ patris ſui Dauid. Nihil.n. ſciebant de cauſa Abſolomi & ſimplici corde ibant, quos certũ, re cognita reſipuiſſe. At ſi in media re interceptꝰ fuiſſent, poterant accuſari leſæ maieſtatis rei, ſi opus eorũ et uiam ſpectes, ſed ſecundũ animũ iudicati abſoluerentur. Quæ hiſtoria, pulchram nobis allegoriam huius rei preſtat, ſed nũc non eſt locus in ea morari. Plane Abſolom Papiſticũ regnũ eſt aduerſus regnũ Chriſti concitatum, qd' et expulit & ſedet in media Hieruſalem. Verũ pii qui ei conſenſerunt nõ conſenſerũt in hanc inſaniam. Et ut alios omittam, de Bernhardo certus ſum, ſimilem eũ fuiſſe illis ducentis uiris, quod euidenter ipſemet monſtrauit, cũ aliquãdo ægrotaſſet ad mortem nihil aliud ſonuit, quã confeſſionẽ huiuſmodi, Tempus meum perdidi, quia perdite uixi. Sed unũ me ſolatur, qꝫ ſpiritũ contritũ & humiliatũ nõ deſpicies. Et alibi, duplici iure Chriſtus regnũ

Abſolom Papiſticũ regnũ.

possidet. Semel quia filius, secundo quia passus. Atq; hoc secundo merito nihil ei fuit opus, dedit autē mihi & omnibus credentibus. Vides hæc esse uerba Christianissimi pectoris, quod totā fiduciam in Christū ponit, de suis operibus prorsus desperans. Nihil de uoto paupertatis, obediētiæ, castitatis gloriat, quin perditā uitam uocat, atq; hac fide & seruatus & iustificatus est cum omnibus sanctis. An putas eū fuisse mentitū aut ioco dixisse, perditā esse suā uitam? Iudiciū dei sensit, corā quo, nisi solus Christus et sua iusticia, nemo subsistit, ideo se deserto ad illū se transtulit, perditas suas affirmans iustitias. Iā si prædicari audias, uota et uitas religiosorū perditas esse, & nullius usus ad iustitiā et salutē, quis uouebit? quis in uoto manebit? At nisi perditas dixeris, uere perditus eris, nec sanctorū patrū uota ulla ex parte imitaberis. Qualis autē Bernhardus fuit, tales fuisse necesse est omnes religiosos sanctos et pios, ut uideas clare, oēs miraculose fuisse seruatos, & eo tandē necessario rediisse, ut uota nihil et perdita esse assererent, quo sola fide iustificarent et seruarent. Et impii hac fide patrū contēpta, erigunt et inflant opera, quæ illi damnauerunt, et prætextu exempli sanctorum docent discessionem a fide, et contra exemplum patrum fallunt mendaciis totum orbem. Ecce hoc est, deum esse mirabilem in sanctis suis.

Pia vox Bernhard. Perdite vixi.

Et quādo monasticen ideo uolunt probatā uideri apud deū, q̄ sancti in illa bene uixerint, cur nō ignes, gladios, frigora, bestias, cruces, mortes, docent probatas a deo et uouendas? An nō uixerūt bene in his sancti martyres? Sancta Hagne in lupanari uirgo mansit. Et quātos deus in peccata ruere sinit ut humilitatē discant et seipsos cognoscant? Paulus Ro. vii. confitet peccatū in carne sua habitare, et tamē in medio peccati bene uiuit, et peccato bene utit. Et quis sanctorū nō in carne, mundo, inter dæmones bene uiuit? Nunquid ideo uouendū est, opus carnis, mūdi, diaboli? At impii isti uitam monasticam non uolunt eam uideri tantum, in qua, sed per quā, seu potius, qua bene uiuat. Genus uitæ et substantiā eius bonā esse docēt, per qd boni fiāt et salui. Hoc sacrilegū, hoc impiū et blasphemū est, hoc eorū mendaciū, hic error, hic hypocrisis, hoc dæmoniorū cōmentū est.

Hoc ſeducunt corda ſimplicium, ſuperba uanitatis ſonantes (ut Petrus ait) Nullus enim ſanctorum per eam bonus factus eſt, nec poſſunt ullum huius exemplum oſtendere. Omnes autem in ſolo Chriſto per fidem & boni & ſalui facti ſunt, ut in Bernhardo monſtrauimus. Sed & S. Aug. dicit, Ve hominum uitæ quantumcunq; laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur. Et iterum. Turbabor ſed nõ perturbabor, quia uulnerum domini recordabor. Vides & hunc ſuam ipſius & omnium uitam damnare, ad uulnera autẽ Chriſti ſeſe receptare. Et Paulus Gal. i. Viuo ego, iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. Omnes in ſolo Chriſto uiuũt, uouent, fidunt, & gloriantur, nihil de operibus ſuis cogitãtes. Vnde & nos dicimus Anathema ſit, qui aliud docuerit, quã in ſola fide eſſe iuſtitiam et ſalutem. Sunt ne hæc ſatis clara? Clarum ergo ſimul eſt, uota monaſtica, quando nõ poſſunt non ultra & præter fidem doceri, eſſe impia, gentilia, Iudaica, ſacrilega, mendacia, erronea, dæmoniaca, hypocritica, apoſtatica, etiam ſanctorum exemplis aduerſaria, quare cũ fiducia reuocanda & deferenda ſunt, etiam ſi pia et ſeria opinione emiſſa fuerint. Si enim opera legis diuinæ Apoſtolus prohibet doceri, & tanto æſtu cogit relinquere Galatas & Romanos, quanto magis illa electicia hominum opera & uota prohibita ſunt & relinquenda. Summa ſummarum, Opera & uota nec doceri nec perſuaderi poſſunt, niſi ea ſalutaria & utilia dicas ad ſalutem et iuſticiam. Quid enim eſt docere, opera et uota non eſſe ſalutaria nec neceſſaria? Quis audiet? quis amplectetur? At docuiſſe ea ſalutaria, eſt dæmoniacum & apoſtaticum a fide, cũ ſola fides ſit neceſſaria & ſalutaris. Quare monaſtica uota & opera aut ſerio doceri & diſci non poſſunt, aut apoſtatare a Chriſto & excidere a fide oportet tam docentes quã attendentes. Et ſtat Paulus fortis, Eſſe ea doctrinas dæmoniorum & mendacia & erronea, a quibus niſi uel in fine reſilias cum S. Bernhardo, in æternum peribis.

Hæc omnia cum uera & ſolida ſint diuinis nixa firmamentis cõuincunt uouentis uota monaſtica, ſi ſine fide uoueat, eſſe hãc cordis ſui ſententiam coram deo. Ecce deus uoueo tibi, amplius nolle

nolle Christianum esse, reuoco uotum in baptismo factum, in Christo amplius non nitar neq; uiuam. Irrita em̃ sunt hæc omnia & antiquata iamdudum. Voueo autem tibi ultra & extra Christum nouum & multo melius uotum, scilicet uiuere in propriis operibus castitatis, obedientiæ & paupertatis, & huius totius regulæ. His enim operibus & iustus & saluus ero, & aliis mecum prodero ad iustitiam & salutem. Horrescis, & negas ita cogitari a uouente? At si negas, negabis simul prædicta esse uera. Cor enim, quod non est fide pura in Christum ædificatum, & præsumpserit uouere, non potest aliter affectum esse, quã dictũ est. Opera enim spectet & æstimet necesse est, alioqui non uoueret. At opera æstimare est fidem negare, baptismum reuocare, Christum repudiare, ut iam abunde satis est dictum. Et hoc impiissimum uotum credes posse placere & exigi apud deum, ac non potius summo odio haberi & damnari. Sic contingit iis, qui sine fide incedunt & opera apprehendunt. Qui in multo miseriorem & contritionem & infœlicitatem in uiis eorum uide. Optimi inter eos habentur, qui ad hanc impietatem quã proxime accedunt, rari enim & pauci sunt, qui caste, pauperes, obedienter & alia regularum uiuunt. Quantæ hic sunt pœnitentiæ? quanti carceres? quantæ pœnæ? quanti dolores eorum qui nõ attingunt? quanta est conscientia, non obseruasse suum ordinem? Scilicet tantis sudoribus uendit Satan suam perditionẽ. Hoc quod summis laboribus & conscientia fugiendũ erat, summis laboribus & conscientia petitur. Vere Moses dixit, Seruietis ibi diis alienis, qui non dabunt uobis requiem die & nocte. De hoc & Christus prædixisse uidetur, Contendite per angustam portam intrare, quia multi quærent introire & non poterunt. Videtur autem deus misericorditer eis resistere, ne attingat suũ statum perfectionis, id est, summam impietatis, permittens eos labi, sepiens uiam eorum spinis (ut in Osea dicit) ut præuaricatores deprehensi inter angustias redeant ad cor, & ad uirũ suum priorem, ubi melius ei fuerat quã nunc. Oseæ. ii. Est ne ergo hæc incredibilis conuersio, Primi sunt nouissimi & nouissimi sunt primi. Apostatæ sunt religiosi, & religiosi sunt apostatæ. Et qui

Votũ sine fide quid polliceatur.

Conscientia magnitudo fomes ordinem non servat.

Religiosi et apostatæ.

minus ſeruant uota magis ſeruant, qui magis ſeruãt minus ſeruãt. Sic etiã ſic dñe cũ peruerſo peruerteris. Sic impleꝫ illud pſal. xiii. Cõtritio & infelicitas in uiis eorũ, et uiã pacis nõ cognouerũt

Quale debeat eſſe votum vere pium & ſanctum.

Rurſus Chriſtiano & pio affectu uouens, ſic cogitabit neceſſario apud deũ. Ecce deus, hoc uitæ genus uoueo tibi, non quod exiſtimem hanc eſſe uiã ad iuſtitiã & ſalutem aut ſatisfactionem peccatorũ. Hoc.n. auertat a me miſericordia tua. Hoc in Chriſti domini mei redundaret iniuriã, cũ hoc ſit negare eius merita & ſanguinẽ eius pollutũ ducere & oſtentui habere filiũ tuũ, cuius ſolius eſt hæc gloria, ut ſit agnus dei, qui tollat peccatũ mundi, in ſanguine ſuo oẽs lauet & iuſtificet, nõ abiiciam tam ſacrilege gratiã tuã. Expectabo & præſumã hæc in ipſo ſolo, nequaquã in me aut ulla creatura, nedum in uotis & operibus meis. Sed hoc ago, quandoquidẽ in carne uiuendũ eſt, nec ociandũ eſt, apprehendam hanc formã uiuendi, exercendi corporis gratia, ad ſeruiendũ proximo ad meditandũ in uerbo tuo, quemadmodũ alius apprehendit agriculturã aut artificiũ pro ſuo quiſq; exercitio, abſq; ullo meritorũ aut iuſtificationis reſpectu, quã oportet in fide priorem eſſe, & ſemper ſuperiorem manere & in omnibus regnare &c. Niſi talis ſit affectus uouentis, intelligis ex prædictis, uotũ non poſſe piũ ac uere uotũ eſſe. Quia hunc affectũ fides exigit, ſi adeſt, aut non eſt fides. Quia ſtat ſententia, Iuſtus ex fide uiuet, Ex operibus nemo uiuet, quare nec ex uotis uiuet. Tu nunc uide, quot ſint, qui ſic uoueant, aut nulli certe aut miraculoſe inducti. Talis.n. affectus cõtemnit uota, nihilo meliora ducens quã agriculturã aut quoduis aliud opus manuale. At quis religioſorũ unquã uouet, ut non æſtimet opus uoti eſſe ſupererogationis, perfectionis, cui nullũ ſit neq; ſimile neq; æquale? ſicut & impudentiſſime docẽt. Inſuper affectus iſte habet hoc genus uitæ pro uſu & exercitio, nõ pro ipſa re et ſubſtantia. Nam fidẽ habet pro re & ſubſtantia. Sicut homo eſt ſubſtantia, operatio eius naturalis eſt uſus ſubſtantiæ ſuæ. Ita fides utiꝫ omniũ exercitiis & operibus. Cõtra illi nõ habent pro uſu ſed pro ipſa ſubſtantia. Eſſe.n. religioſum, hoc aiũt, eſſe in ſtatu bono abſolute, quo nõ utendũ ſit, ſed qui utaꝫ potius omniũ alioꝝ, ipſe caput, primũ & nouiſſimũ Alpha & o.

HACTENVS uisum est ut monastice nostra aduersaria sit tam uerbo dei, quã fideí Christianæ. Et quãuis abũde ex his duobus locis damnata & reprobata sit, omnibusq; inuisa merito reddita. Nã quod deo & uerbo eius aduersariũ esse inuenitur, facile simul colligitur, nulli rerũ non aduersariũ esse, nec sibi ipsi cõuenire, tamen hoc ipsum latius tentabimus ostendere iis qui per sese inuenire nequeunt. Et iã tertio probabimus eam repugnare fructui uerbi & fidei, nempe Christianæ & Euangelicæ libertati, quã uiolasse & non illabatã custodisse, nõ minus impiũ est, quã fidem negasse & apostatasse, ut ex Paulo ad Galatas docemur. Repetimus itaq; quod dictum est, ac principii fidelis loco ponamus, Deo placere non posse uotũ, sed nec uotũ apud eum censeri, nisi sit germane Christianum & pium. Neq;.n. potest agnoscere, qd' aduersus Christianã pietatẽ agit, non magis certe quã seipsum negare potest, qui pietatẽ Christianam primo & summo præcepto mandauit. Votũ autem Christianũ & pium non est, nisi quod illesa fide uouetur. Illesa fides tunc est, quando uotũ pro re libera & non necessaria ad iustitiã & salutem habetur, quas certũ est, nullis legibus, nullis operib. sed sola fide in Christo obtineri, ut hæc omnia satis firmiter probauimus & euidenter demonstrauimus. Ante omnia .n. opera iustitiam & salutem adesse oportet, iustitiã uero & salutem, non quãlibet sed dei, id est, æternã quæ manet in seculũ seculi, quã solus deus dat & operatur in nobis, atq; hoc ipso cũ sit opus solius dei in nobis, operibus nostris impediri potest, parari non potest. Dicit.n. Iohan. vi. Hoc est opus dei, ut credatis in eum quẽ misit ille. Et infra, Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me traxerit illum. Et iterũ, Est scriptũ in prophetis. Et erunt oẽs docibiles dei. Omnis qui audiuit a patre meo & didicit, uenit ad me. Et iterũ, Propterea dixi uobis, Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datũ a patre meo. Hoc & ad Petrũ dicit Matth. xvi.

fides ipsa manet si ad salutem necessaria sit no ejus opa a vorum

Quid fides sit nota auctoritatis

Liberum arbitrium ibi radit

Beatus es Simon bar Iona, quia caro & ſanguis nō reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis. Et Paulus, fidem uocat donum dei, quod nō ſit ex nobis. Maior ergo eſt res iſta iuſtitia dei & ſalus dei. nempe opus ſolius maieſtatis, quā ut noſtris uiribus parari poſſit. Quod ergo noſtris uiribus paratur, uerius iniquitas quā iuſticia, uerius perditio quā ſalus eſt, ſicut dicit Oſeæ. xiii. Perditio tua Iſrael. Ex me tantum ſalus tua. Quare & uota illa, opinione iuſtitiæ & ſalutis parandæ præſumpta, iniquitates & perditiones ſunt aduerſariæ iuſtitiæ & ſalutis dei, quarum opus & officium ſibi arrogant.

QVID LIBERTAS CHRISTIANA.

Cum igitur ex his certiſſimum ſit, apud deum non acceptari uotum, niſi tale, quod ad iuſtitiam & ſalutem non neceſſariū æſtimetur, nec ipſe mandauerit ullum uoueri uotum, plane ſequitur, liberum eſſe eiuſmodi uotum & omitti poſſe. Pugnant enim duo hæc euidenter. Non eſſe neceſſarium ad iuſtitiam & ſalutem, & non poſſe omitti ſine periculo iuſtitiæ & ſalutis. Si non poteſt omitti, neceſſarium eſt, ſi neceſſarium non eſt, poteſt omitti, ut forma pii & Chriſtiani uoti uideatur eſſe coram deo hæc. Voueo tibi hoc uitæ genus quod natura ſua nō eſt neceſſarium, nec fieri poteſt neceſſarium ad iuſtitiam, niſi enim ſic ſonuerit, pium uotum eſſe non poterit, ut ſatis ex dictis patet. Quid autem deus hic reſpondebit? Nōne dicet, quid ergo ſtulte uoues? Non habes uota, quæ mihi reddas ſatis multa? Sed hic obiicitur fortiter, Opera legis diuinæ in decalogo mandata ut caſtitas, mititas, largitas, obedientia parentum, non iuſtificant, nec ſunt neceſſaria ad iuſtitiam & ſalutem, cum Paulus dicat, ex operibus legis nō iuſtificatur omnis caro, tamen neceſſaria ſunt, dicente Chriſto Matth. xvi. Si uis ingredi ad uitam ſerua mandata. Neq; enim poſſunt omitti, etiā præſente fide, quæ ſola iuſtificat, cum ſint fructus fidei iuſtificantis. Fides enim ſine operibus mortua eſt, & nihil ualet. i. Corin. xiii. Et Petrus in fide uirtutem requirit. Et Galatis fidem operoſam per dilectionem præſcribit. Sic de uoto dici poteſt & operibus ſuis, quæ cū poſt uotum iam ſint præcepti, neceſſaria ſunt, tanquā fructus iuſtitiæ

et si non necessaria ad ipsam iustitiam, quæ solius fidei est. Neq; enim libertas Euangelica est, posse omittere mandata dei. Mandatum autem dei est, Vouete & reddite. Per fidem enim legem non destruimus sed statuimus, ait Paulus Roma.iii. Hæc quæstio mouetur, ut uideamus naturam libertatis Christianæ. Est itaq; libertas Christiana seu Euãgelica, libertas conscientiæ, qua soluitur conscientia ab operibus, non ut nulla fiant, sed ut in nulla confidat. Conscientia enim non est uirtus operandi, sed uirtus iudicandi, quæ iudicat de operibus. Opus eius propriũ est (ut Paulus Roma.ii. dicit) accusare uel excusare, reum uel absolutum, pauidũm uel securum constituere. Quare officium eius est, non facere, sed de factis & faciendis dictare, quæ uel ream uel saluam faciãt coram deo. Hanc igitur Christus liberauit ab operibus, dum per Euangelium eam docet nullis operibus fidere, sed in solius sua misericordia præsumere. Atq; ita heret fidelis cõscientia in solis operibus Christi absolutissime, & est columba illa in foraminibus petræ & in cauernis maceriæ, sciens certissime se non posse securam & quietam esse nisi in solo Christo, in omnibus uero operibus propriis non posse, nisi ream & pauidam damnatamq; manere. Sic ergo discernit & iudicat inter opera Christi & sua. Christi opera apprehendit & dictat in hunc modum, per hæc ego iustificabor, & seruabor & liberabor ab omnibus peccatis & malis, de quo non dubito, quia in hoc ipsum sunt per eum facta, & in baptismo super me effusa, sine his non est salus, non est pax ossibus meis, non est satisfactio peccatorũ. Sua uero opera mala uidet & damnat, sed in Christi operibus uincit & contemnit, ne sese mordere possint. Potentiora sunt opera Christi ad nos liberãdos & pacificandos, quã nostra sunt ad captiuandos & terrendos, si tamen hoc credideris. Opera uero sua bona apprehendit & dictat ea facienda gratis, ad comodum solum proximi & ad exercendum corpus, nequaquã ad iustitiam, pacem, satisfactionem peccatorum, & remissionem parandas. Quia hæc non nisi in Christi operibus quærit, & inuenit fide constanti, sicut uidet Christum fecisse sua opera gratis, ad comodũ nostrũ & pro usu corporis sui ad uoluntatẽ dei.

Libertas christiana, cõscientiæ libertas.

Constia in Christo opera: & in opibus mea pauida z rea,

Credere oz fir, Quid opa ffuis

Qua parte potissimũ ledant humanæ traditiones.

Hanc igitur scientiã libertatis & sanitatem conscientiæ petũt omnes insidiæ humanarũ & impiarũ doctrinarum. Hic serpẽtis astutia simplicitatẽ quæ in Christo est, quærit corrumpere. Hic uides, quã impiæ sint leges de satisfactionibus, quibus docemur per opera nostra delere peccata. Rictus rapacium luporum sunt qui cõscientias a Christo diuellunt & laceratas in opera propria dispergunt miserrime, semper discentes, semper operantes, & tamen ad ueritatẽ & pacem nunquã peruenientes. Hos lupos Paulus Act. xx. graues uocat, qui intraturi erant nõ parcentes gregi, loquentes peruersa, ut trahant discipulos post se. Quid est discipulos post se trahere, nisi a Christo auellere? Hoc fit, dum conscientiæ docentur operibus suis sese sanare, peccata delere, & gratiã mereri, cũ hoc in solis Christi operibus, per fidẽ quærendum sit. Hic uides damnatũ esse & Christo aduersariũ uniuersum ius canonicum & regnũ Papæ, quod nihil aliud facit, quã quod cõscientias illaqueat operibus propriis, & a Christo diuellit, extincta tam libertate quã libertatis doctrina & scientia. Maxime uero hic damnatur impura illa & obscena meretrix Parrhisiensis scholæ, quæ determinauit Aristotelis dogmata in moralibus, non dissentire Christi dogmatis. cũ ille aliud non doceat quam per opera acquiri uirtutes, dicẽs, Faciendo temperata efficimur tẽperati, quod Christiana conscientia ceu sentiã inferni execratur & dicit, Credendo in Christum temperatũ efficiar & ego temperata, illius temperantia & mea est, donũ est eũ illius, non opus meũ. Summa, omniũ scholarũ Theologiam, tam speculatiuã quã practicam hic damnatã uides, non. n. docent Christũ sed prudentiã humanam, quæ dictamine suo paret etiã fidem, quã uocant acquisitam. Ve Sodomis istis & Gomorris perditis & abominandis, simul hic uides & cur opera legis diuinæ seu iustitiam legis damnet Paulus, & cur iustitiã suã pharisaicam, quã Col. ii. gloriatur sine querela fuisse, pro stercore & detrimẽto ducat. Scilicet quod aduersatur iustitiæ, quæ ex Christo & in Christo est. Auellit enim conscientiam & non sinit in Christi iustitia hærere, sed tenet præsumentem in sua propria iustitia & operibus a se factis. Sicut dicit Roma. ix. Gentes quæ non sectabantur

Leges humanæ ostiaz Pilaceras /

Iuo canonicus in operibus afidiis doceat a Christo diuellit

Parrhisiensiũ impietas tuen cũ Aristotelẽ

Phis in moralibus respondet

Prudentia humana a nõ Christus docens /

iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autē quæ est ex fide. Israel uero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ nō peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.

Intelligis nunc tandem, cur toties dixerim, nec uota nec opera nostra necessaria esse ad iustitiam & salutem? Hoc enim de Christi solius operibus in baptismo super nos effusis & donatis, pia conscientia dictat, & sic libera est ab omnibus operibus, nō quidem faciendis, sed accusantibus & defendentibus. Credentis enim in Christum nulla sunt tam mala opera quæ eum possint accusare & damnare, rursum nulla tam bona, quæ possint eum defendere & saluare, sed omnia nostra nos accusant & damnāt, solius autem Christi nos defendunt & saluant. Tu ipse nunc uide, quomodo opera decalogi sint omittenda & facienda, quæ sunt, castitas, obedientia, mititas, largitas, & similia. Omittenda non sunt sed facienda (ut sic dicam) secundum substantiā, sed non secundum conscientiam, hoc est, non ut defendentia & iustificantia. Hoc.n. esset conscientiam corrumpere & a Christo sponso suo abstrahere, cum quo est una caro, cōmunicans omnibus bonis illius, sed libere & gratis facienda sunt ad usum & comodum proximi, sicut Christi opera nobis facta sunt libere & gratis. Verum tunc amplius non sunt opera legis, sed Christi in nobis per fidem operantis & uiuentis per omnia, ideo non possunt magis omitti quā ipsa fides, nec sunt minus necessaria quam fides. Cæterum opera, quæ uere sunt opera legis, ficta & falsa sunt. Extra Christum enim nemo est ex corde mitis, castus, largus, obediens, pius, adorans &c. Facit enim non libera conscientia, sed amore comodi aut gloriæ, uel timore pœnæ. Et cum simulata sanctitas sit duplex iniquitas, manifestum est, opera eiusmodi esse, non modo non necessaria, sed omittenda quoq; & fugienda. At hic dices forte, Num scortandum, occidendū, rapiendū, mentiendum, rebellandū, idolatrandū, docet Christiana tua libertas? Stulte, quasi uero te iubeā maius malum facere, quando minus malum omittendū doceo. Dico non irascendum, & tu ibis ad occidendum, ne solum irascaris?

Non a pharisaismo ad gentilitatem, sed ad pietatē eundum.

Volo hæc opera ficta omitti, & uera fieri, ut desinas esse impie largus, fias autem pie largus. Necesse est enim & opera mutari (quanquā foris simillima) ubi tu fueris intus mutatus, ut iam non tua sed Christi opera in te fiant. Quanquā id non sit humani arbitrii definire an peior sit, impius cōiunx quā scortator uel econtra. Deus est qui intuetur cor. Scortator abutitur carne ad uoluptatem illicitam. Impius coniunx abutitur carne ad gloriā illicitam. Ideo nostrum calculum hic iubemus quiescere. Videmus in Euangelio, publicanos propiores esse Christo quā pharisæos, ut si humano iudicio peiores sint, certe fœliciores commendat Euangelium, ut tutius appareat esse lapsum manifesto, quā impie stetisse in occulto, sed nō ideo labi consulimus illis. Deo cōmendamus sua iudicia occulta & metuenda.

Scortator interdū melior giugi/

Ex quibus sequitur, ad doctrinas hominum etiam pertinere, quando diuina lex docetur & seruatur per opera. Lex enim spiritualis est, in hoc data, ut humiliet & Christum quærere cogat. Officiū legis est, non exigere nostra opera, sed ostendere peccatum & impossibilitatē nostram. Per legem.n. cognitio peccati. Vt ergo opera legis omittenda sunt, ita & legis doctrina omittenda est. Hic iterum dices, ergo sine lege uiuemus liberi? Hoc quoq; iterum stultum est, quasi te doceam minus scire, quando iubeo plura scire, quanquā & hic Paulus Ro.ii.&.iii. audeat & Iudæos scientes & gentes ignorantes, pares facere, nihil discernēs inter eos qui sine lege & qui in lege sunt. Sed ueniamus nunc ad uota quoq; & opera eorum, & sicut in obiectione ea comparauimus operibus legis diuinæ, cum iam esse de præcepto uideantur, dicente, uouete & reddite. Ita in responsione comparemus eisdem. Opera legis audiuimus dupliciter fieri, Aliquando per nos ut nostra. Aliquando per Christum in nobis, ut Christi, cuius sunt donum. Iam ut demus et uota esse sub præcepto (de quo post uidebimus) æque dupliciter ea fieri necesse est. Aliquādo per nos ut nostra, tunc sine dubio omittenda sunt et damnanda, ut quæ a Christo auellunt conscientiā piam et in opera laceratam dispergunt. Docent enim iustitiam et peccatorum remissionem extra Christum operari. Nihil ibi est, nisi iustitia illa,

Lex nō exigit opa & sercuat/

Doctrinæ hominum etiam lex diuina, cū citra spiritum sanctum docetur aut seruatur.

quā

quã Paulus iubet pro ſtercore & detrimento habere. Neq; eſt in manu noſtra definire, melior ne ſit uoti obſeruator an uiolator, ſicut ſuperius de operibus legis exemplum dedimus. Aliquãdo fiunt per Chriſtum in nobis ſpiritu libertatis, dum uouentur & ſeruantur gratis, ut nec peccatis per ea ſatisfiat, nec iuſtitia nec ſalus quæratur. Poteſt enim Chriſtianus omnes omnium homi num leges, ritus, mores obſeruare & ſeſe eis accomodare, mo do non ſint aduerſus diuina mandata, nec in eis fiduciam con ſcientiæ ponat. Conſcientia enim Chriſto & Chriſtus conſcien tiæ, ſecreta huius ſponſi & ſponſæ cubilia nemo tentet. Siue. n. cum Turcis abſtineas a uino ſiue cum Chriſtianis bibas uinum, nihil refert, modo libera conſcientia biberis. Sic Paulus ſeſe ac comodabat gentibus & Iudæis liberrima conſcientia, cum his abſtinebat & circuncidebat, cum illis edebat et non circuncidebat. Ita ſi uoueas religionem, ut cum hominibus eiuſmodi uiuas, ea conſcientia, ut nihil hinc comodi uel incomodi petas apud deum, ſed quod uel caſus hoc uitæ genus obtulerit amplectendum, uel ita uiſum tibi ſit uiuere, nihilo te meliorem hinc arbitratus eo, qui uel uxorem duxerit, uel agriculturam apprehenderit, neq; male uoues neq; male uiuis, quantũ ad uoti rationem attinet. Nam quo caſu charitas exigat cedere uotum, non ſine peccato in uoto pertinax fueris, ut dicemus.

Verum impoſſibile eſt hac conſcientia uoueri, niſi ab iis, qui mirabiliter ſpiritu Chriſti intus ducuntur et ſeruantur, hoc eſt, ab electis. Cæterum ipſa ratio uouendi et in uotis uiuendi ex diametro pugnat cum hac conſcientia, cum in hoc ipſum et repertum ſit et iactetur inſtitutum uouendi, ut conſcientiã illaqueet et ſeruitute legali captiuet. Quis enim religioſorum ſeſe coniugi aut agricolæ aut cerdoni æquare patiatur apud deum? Nonne ideo uouent, ut ſingulari præ cæteris obſequio ſeruire deo uideantur? Cur alioqui omnes alias uias uiuendi ſic contemnerent & hanc ſolam ſic ſuſpicerent? Neq; enim ipſi cum propheta dicunt, Melior eſt miſericordia tua ſuper uitas. Sed una uita melior eſt ſuper alias, quod coram hominibus ſed non coram deo uerum eſt. Atq; ut hic reuelemus cogitationes cordium, Audiãs

Opinio uouentium.

hæc uirgines & cœlibes, nihilo se meliores esse apud deum quã coniuges & sordidos agricolas, quid facient? Nonne murmurabunt aduersus patremfamilias, quod pares fiant eis qui una hora laborarũt, cũ soli portarint pondus diei & æstus? Da quæso uirginem & cœlibem qui sit contentus cõmuni denario. Dicent enim, ut quid continui? cur non nupsi? cur me fraudaui? Vides cogitationes nequã cordis eorum aduersus bonitatẽ patrisfamilias? Primo.n. personæ respectum requirunt in deo, ut opera & nõ fidem spectet, hoc est, ut homines præferat Christo. Siquidem non curant, quã preciosa alii ex Christo acceperint, sed quã egregia ipsi præ cæteris obtulerint? Deinde hoc murmure confitentur sese continuisse non gratuita & liberali, id est, Christiana & pia, sed seruili & mercenaria, id est Iudaica & impia uoluntate, ac per hoc uirginitas eorũ non est uirginitas, nisi stultarũ uirginum, quarũ lampades extinguũtur, cũ non habeant oleum in uasis suis (id est, fidem liberam in conscientia) Quid igitur sunt magnificæ illæ bullæ, quibus uirginitas, cœlibatus, uotum iactatur, deinde prærogatiuæ, aureolæ & id genus nugæ quæ prædicantur, quo alliciantur ad uirginitatẽ Christiani, nisi mera Satanæ mendacia, quibus ad superbiã & corrumpendã conscientiæ uirginitatẽ concitant? Omniũ.n. unus sensus est, malle nupsisse, si nõ contingeret impares apud deũ censeri in meritis, cũ ergo talis sit & ratio instituti, ut ad opera nõ ad fidem uocet, quomodo potest usquã Christianũ uotum reliquũ esse nisi diuino miraculo seruatum?

Verum ut disputatio disputationem gignit, clamabunt hic impii isti, me esse Iouinianũ, & opponent mihi Hieronymum aduersus Iouinianum, uirginitatis assertorem. Credent.n. mihi Hierony. non esse lectum, lectum autẽ illi satis esse putant, iudicio inter legendum nõ habent opus, articulus fidei est, quicquid legerint. Ego plane quid Iouinianus senserit ignoro, forte non tractauit digne hoc argumentum, confidenter autem affero nec a Hieronymo digne tractatum. Virginitatem enim nudam seorsum tractat, fidei non inuoluit neq; superædificat, qua ratione docendi, cũ sit humana, nullum opus, nulla uirtus potest sine

Hieronymi scriptũ contra Iouinianum quale.

pernicie aut periculo doceri. Fertur enim uir sanctus, quod nemo negare potest, impetu & feruore humano & nimio studio obsequendi amicis & inprimis suæ Eustochio, magisq; premit Iouinianum autoritate quã solida eruditione, id quod probat parum consideratus ardor corradendi undiq; testimonia scripturarũ, congrua & incongrua, magno ludibrio futurus, si paris autoritatis antagonistam sortitus fuisset. Nã & eos locos, quos principes habet, in quibus cardinem uictoriæ locat, torquet, ne dicam deprauat. Paulum enim, ubi dicit, Qui uirginem tradit bene facit, qui non tradit melius facit, plane eo trahit, ut hoc bene & melius facere ad merita apud deum pertineat, & sectas in populo dei faciat, cum manifestissimũ sit Paulum loqui de bono & meliori huius uitæ, quod uirgo nullis implicita curis, liberius uacet deo, omne meritũ cõmuni fidei relinquens. Et quis scit, si Hierony. hac parte fuerit unus illorum de quibus in Ezechiele dicit? Propheta cum errauerit & mendacium locutus fuerit, ego dominus qui decepi prophetam istum. Et iuste, cur non solis attendimus uerbis dei? Cur spiritus consilio neglecto, non omnia probamus antequam teneamus?

Virginitas.

Fatemur & nos uirginitatem esse rem maximam, si res inter sese comparentur, sed simul dicimus, Si uirgo sese itidem corã deo cæteris superiorem imo parem fecerit, Satanæ uirgo est. In nouissimo loco sedere docet Euangelium & inuicem superiores arbitrari. Sic ergo tractanda & docenda est uirginitas, ut nulla lege, nulla necessitate, nulla spe premii, sed gratuita & uoluntaria mente seruetur, ut exempli gratia, uirgo sic cogitet, quanquã possim nubere, tamen placet uirginem manere, non quia præcepta, non quia consulta, non quia præciosa & magna præ cæteris uirtutibus, sed quia sic mihi uisum est uiuere, sicut alteri uisum est nubere uel agricolari, nolo.n. molestias cõiugii, uolo libera esse a curis & deo uacare. Ecce hoc est simplicitate Christiana uirginem esse, quæ non in seipsa, sed in Christo gloriatur. Vnusquisq; enim in dono suo debet gratis deo seruire, omnes autem communi fidei uirginitate, in uno Christo gloriari,

Qua intentione ego permanio

ubi non eſt maſculus neq; femina, ita nec uirgo nec coniunx, nec uidua nec cœlebs, ſed omnes unum in Chriſto. Huc pertinent nobiliſſima præ cæteris exempla in uitis patrum, ubi Coriarius ille Alexandrinus, diuino oraculo æqualis, imo melior Antonio definitur, cõiunx uirgine aut cœlibe, ciuis monacho, plebeius monachorum patre. Et illud ubi Paphnutio æquales fiunt duæ maritatæ mulieres & quidam auledus quondam latro &c. Quid illis exemplis deus uoluit, niſi propter ſanctos iſtos adhuc paululum differre, impias ſectarum doctrinas & inſtitutiones, quæ iam tum incipiebant aduerſus fidem ſumma ſpecie irruere? Sunt igitur dona dei diuerſa & magna & parua. i. Cor. xii. & vii. diues plura habet quã pauper, ſed nemo per hæc ſectas introducat, & ſecundum dona diſpartiat & merita & premia apud deum, nec ſeſe inuicem præferant, omnes uero gratis ſeruiant cõmuni fide & Chriſto abundantes, qui operatur inequalia æqualis ipſe in omnibus. Quod ſi indigne tuleris te uirginẽ coniugi æquari, nube & tu. Melius eſt tibi pium & liberum coniugium, quã mercenaria & impia uirginitas. Stat ſentẽtia, opera & perſonas non reſpicit deus ſed cor & fidem Hiere. v. Domine oculi tui fidem reſpiciunt.

Coriarius Alexandriæ prælatus Antonio.

Vides ergo ex his demonſtrari. Etſi aliquod uouendi exemplum poteſt eſſe pium, uirtute miraculi, tamen ipſum inſtitutũ uouendi & ratio eam uitam docendi impietatis damnatur. Sicut & lex ſola litera tradita, poteſt habere exemplum bonum, ut in Paulo qui ea uſus eſt ſine litera, tamen ratio docendæ literæ legis & operum eius impia eſt. Ita Bernhardus uouit & uixit in uoto, ſed non ex neceſſitate uoti, imo ex libertate ſpiritus. Licet uotum ſuum hanc libertatem non doceret, imo neceſſitatem libertati contrariam doceret. Hæc ſint dicta pro reſponſione ad obiectionem prædictam, ut ſciamus, ſi uotum fuerit præceptum, iuxta illud, Vouete & reddite, opera eius eſſe facienda in ſpiritu libertatis, ſicut opera decalogi, non quia uota ſed quia gratuito placita & libera, quanquã ut dixi, nulli niſi miraculo ducti ſic ſeruent, repugnante ipſa ratione uouendi & uiuendi, qua auelluntur a libertate iſta, & rapiuntur in ſeruitutem

Inſtitutũ uouendi impiũ.

& necessitatem. Sed nunc perginus, & negamus, uotum esse aut fieri posse præceptum, sicut nec opera legis sunt aut possunt esse præcepta. Deus enim nō est impietatem uolens psal. v. imo probamus prohibitum esse ex hac ipsa Euangelica libertate. Paulus enim Gal. i. Euangelicā libertatem asserturus dicit, sed siue nos siue angelus de cœlo aliud docuerit quā quod audistis, anathema sit. Et infra, Vos fratres in libertatem uocati estis. Et iterum, Qui autem uos conturbat, portabit iudicium suum, quicunq; fuerit ille. Ex quibus uerbis habes, nihil licere ulli docere, quod sit aduersus Euangelicam libertatem. Ea enim libertas diuini iuris est, quam deus sanxit, quā nec reuocabit, neq; aduersus eam quicquā acceptare potest, neq; homini licet eam uiolare ullo uel minimo statutulo. Est autem ea libertas nō solum illa prædicta in spiritu & conscientia regnans, qua nullis operibus aut accusamur aut defendimur, sed etiā ea, qua sublata sunt uniuersa hominum mandata, & quicquid in externis ceremoniis seruari potest, ut sunt, omnes cibi, omnes uestes, omnes personæ, omnes gestus, omnia loca, omnia uasa, omnes dies, ut ea liceat obseruare, non obseruare, quā diu, ubi, quomodo, quando, quoties placuerit aut res ipsa obtulerit. Et omnino quicquid non est mandati diuini, abrogatum & libertate donatum est. Dicit enim Paulus Col. ii. Si ergo mortui estis cū Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquā uiuentes mundo, decretis tenemini. Ne tetigeritis, ne gustaueritis, nec contrectaueritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad sacietatem carnis. Hic plane Apostolus prohibet decretis hominum teneri. Et Christus Matt. xv. Frustra autem colunt me docentes mandata & doctrinas hominum. Et Tit. i. Non intendentes mandatis hominū auersantiū ueritatē.

Hæc certe sunt mandata dei, prohibentia doctrinas hominū tam doceri quā audiri. At uouendi institutum nōne merissime humanum est? Nonne situm est in rasura, ueste, cibo, potu, diebus, locis, gestibus & aliis cerimoniis? Vbi aliquid horum præ-

cepit deus? ubi præcepit eam paupertatem, eam obedientiam, eam castitatem? Quid igitur? adhuc dubitas ea nec licere nec licuisse uouere? libera sunt diuinitus, quæ tu necessaria facis humanitus, & putas deum plus acceptare quod tu erras, quã quod ipse ordinauit? Ipse nõ potest sustinere ut fiat peccatum in usu uestium, cibi, potus, dierum, quia noluit ibi peccari posse, & tamen tu ibi peccatũ asseris fieri. Ita noluit cœlibatum necessariũ fieri, sed sanxit liberum esse, & noluit peccatũ fieri, si quis nupserit, quando uoluerit, & tu perpetuũ facis uoto tuo ac necessarium sub lege. Quid igitur restat? nisi hic omniũ euidentissime monstrari, uota religionum & uniuersam monasticam esse aduersus libertatem Euangelicam, & diuinis mandatis prorsus prohibita, cum negari nequeat, esse meras hominũ doctrinas. Neq; enim minus peccatum est, uiolare libertatem diuinitus statutã, quã in quoduis aliud dei præceptum peccare. Voueas sane & reddas quodcunq; uolueris, sed citra mandatæ libertatis iniuriam. Neq; enim tibi ipsi eam licet auferre, nec licet peccatũ statuere, ubi deus peccatũ esse noluit. Noluit autem peccatũ fieri posse in usu castitatis, sed liberã fecit eam, ut nõ peccaret, qui nuberet. Sic & Paulus. i. Corin. vii. cũ uirginitatem consuleret, adiecit, si nullã necessitatẽ haberet qui uirginẽ statuisset seruare, quo prohibuit exactã & coactã & necessariã esse aut fieri castitatem, quã primũ ergo cogi ceperit & exigi, iam soluta est & libera, per hanc Pauli autoritatem. Reuertamur itaq; ad id qd' supra diximus, Votũ castitatis & totius monasticæ, si piũ est, debet necessario secũ inuoluere libertatẽ rursus omittendi & in hanc ferme sententiã interpretari. Voueo tibi obedientiã, castitatem, paupertatẽ seruandam, cũ tota regula S. Aug. usq; ad mortem libere. hoc est, ut mutare possim quando uisum fuerit. Si aliter interpreteris aut intellexeris, cernis ex prædictis, peccari aduersus libertatẽ diuinã nobis mandatam, nec posse fieri ut deus aliter acceptet, nisi reuocet libertatẽ, id est, nisi neget seipsum. Quid ad me, si sancti patres uel nulli ita uouerint aut senserint? Quid si omnes errauerint, aut miraculose intus ducti fuerint? Aperta est & irrefragabilis Euangelii sententia, damnari doctrinas ho-

minum & liberas eas, nosq; illarum dominos esse, quare non possumus earum fieri serui, ulla autoritate angelorum, nedum nostra stulta superstitione & humilitate, ut Paulus ait. Similiter aperta est ueritas, Votorum institutum esse seruilem hominum doctrinam, cur ergo patiamur, ut serui equitent & domini pe-ditent, iuxta Salomonem. Quin potius Christo gratias agamus qui nos hac libertate honorauit, & nobis eam uiolare impiis uo tis molientibus inuiolatã seruauit, & uota nostra semper irrita, libera & nulla esse firmiter ordinauit, ipse dum nos insanimus, benigne pro nobis uigilauit.

Hic fortassis ridebit aliquis & ridiculum uotum hoc subsan-nabit, quod uerius est simulatio quædam uoti. Quid enim est, nisi præstigium dicere, Voueo tibi libere agere quod uisum fue rit? Rideat sane, qui uolet, modo simul sciat, nihil mirum neq; nouum esse, si homines stulte & ridicule agant, dum citra & ul tra dei uerbum suis propriis consiliis aguntur. Sermo tuus (in-quit Christus) ueritas est. Quid putas sermo hominis sit, nisi mendacium? Ridiculum est, sed iis qui ueritatem Euangelicæ libertatis audiunt uel cognoscunt, cæterum operatio erroris sub isto ridiculo nõ minus implet nimis seriam & seuerã iram dei, tot milibus animarũ istis laqueis misere captis & perditis. Huma num inuentum est uotum, humanũ inuentũ manet. Sed nõ in totum tamen ridiculum est. Nam uouere subiectionem istam li beram ad tempus, non est inutile. Videmus enim primitiuæ Ecclesiæ institutum fuisse & morem plane saluberrimum, ut iu-uentutem seniores sibi ad tempus cõmendatam, instituerent in fide & disciplina, quod & Apostolorum Petri & Pauli Epistolæ indicant, ubi iuniores uolunt subdi senioribus. Hinc primum natæ scholæ Christianæ, in quibus & puellæ quoq; erudieban-tur, ut sanctæ Hagnes habet historia. Ex his tandem collegia & monasteria pullulauerunt, propter eos qui perpetuo & libere in scholis istis manere uolebant. Vbi autem ceperunt ii qui iu-uentutem instituendam susceperunt segnes fieri & sua curare, aucti opibus & ocio, & iuuentus rebellior facta, tum uoti laqueos inuenerunt, quibus cõscientias alligatas tenerent sub disciplina

Vnde orta vota.

Vota se tanquam substantiada /

Quot mihi animas perdit /

Quia primus bene incepta /

Monasteria et collegia olim scholae fuerunt

Et otiosi et segnes superiores fuerunt non laqueos inuenerunt /

ut quiſq; ſeipſum metu peccati cohiberet & ocium fieret curatoribus. Sicut & nunc mos eſt furioſus Academiarum, iuuentutem irretire iuramentis, & conſcientias eorum excarnificare, ne ſit neceſſe illis uigilare & ſollicitis eſſe, in utranq; aurem ſecure dormiant. Sic ex liberis & Chriſtianis ſcholis ſeruilia & Iudaica monaſteria ueræq; ſynagogæ impietatis factæ ſunt. Si igitur uotum hodiernum ad priſcum illum morem conferatur, & ita ſeruaret nihil ibi periculi eſſet, & abſq; dubio apud deum aliter non agnoſcitur, quã ad illum morem ſeruandum temporaliter, tantũ ut inſtitutionem Chriſtianam infirmiores & rudiores animi imbibant, & poſtea rurſum liberi dimittantur. Id quod infra etiam operibus dei teſtibus probabimus.

Argui ord coelibatus matrimonio deferri poſſit

Obiiciet hic infirmior aut argutulus quiſpiam, Si deus cœlibatum ſic liberum uoluit, ut nupciis poſſit mutari, ergo eadẽ libertate licebit & nuptias deſerto coniuge cœlibatu mutare, aut ſi lex dei cogit, coniugem non deſerere, ſimiliter & lex dei de uouendo coget cœlibatum non deſerere, utrobiq; enim peccatum eſt diuinitus ſtatutum & prohibitum. Vel ergo non licebit etiam matrimonium contrahere, ne cœlibatus fiat illicitus libertate ſublata, uel neceſſe erit & uotum ſeruare, matrimonio per ipſum facto illicito. Reſpondeo, Libertas Euangelica regnat in iis ſolum, quæ geruntur inter deum & teipſum, non inter te & proximum tuum. Nõ enim uult rapinam in holocauſtum, nec quicquã fieri ab ullo quod uergat in proximi iacturã, imo uult omnia fieri in proximi comodum. Sanxit ergo tibi libertatem, ut coram ipſo poſſis nubere aut cœlebs uiuere liberrime, nec hãc libertatem uoluit mutari poſſe inter ipſum & te. Neq; enim patitur ut te ſibi liges & obſtringas, qui te in omnibus ſoluit & liberum facit, alioqui quid eſſet uotum, niſi ligari a te quod ille iubet eſſe ſolutũ? Verũ hac libertate non prohibet, quin proximo tuo te poſſis obſtringere & ligare, quia proximus tuus non iuſſit te ſolutum & liberum eſſe ſicut deus. Alioqui liceret & oẽs contractus, federa, pacta componere & rumpere pro libidine. Igitur in matrimoniũ datus, iam in alterius es iure & poteſtate, quod ius deus non uult illi inuito rapi, ut ſibi ſeruias. Tamen ſi

Libertas erga deum nõ erga proximum.

Qui hz oporiz nõ ſolu hz ad ꝓ uel hirel ab ea

ceſſet

ceſſet illud ius uel moriente coniuge uel conſentiente, ecce integra & ſalua tibi eſt libertas inter te & deum ſicut prius nubendi & continendi. Tale ergo eſt uotum cœlibatus erga deum, quale eſſet pactum coniugii marito factum, iam mortuo aut mutuo conſenſu ſeparato & libero. Sicut enim maritus mortuus uel data licentia tibi copiam facit continendi libere, nunquā accepturus amplius copulam tuam, roborato inter uos utrinq; firmiter pacto, literis, ſigillis & teſtibus, & tu ſtulta uelut magnum factura marito, denuo ſpondeas ei copulam matrimonii, uolens hac ipſa ſponſione, priorem copiam continendi non ſolum roborare, ſed ſuperare & excellentius implere. Nōne te dicet inſanam ita deus in baptiſmo pactum libertatis tecum fecit, ut liberum tibi eſſet perpetuo, nubere & continere, nec amplius accepturus libertati huic aduerſarium. Et tu ut hanc libertatem maiorem & perfectiorem reddas, uoues & uouendo in ſeruitutem & neceſſitatem mutas. Quid inſanius fieri poteſt? proinde religioſi proprie ſunt cultores Baal, qui deum ſibi maritum uolunt facere ſeruitute uoti, qui eos liberos fecit libertate Euangelii. Baal enim maritum ſonat, qui coniugem habet. Ita nō contenti libertate cōmuni, monaſtici, præſumunt deum ſibi proprium & ſingularem præ cæteris Baal facere, exiſtimantes hoc obſequio plus quā Euangelice agere, cum recta aduerſus Euangelium inſaniāt. Hoc eſt, quod mos eorum eſt, altaria tranſilire, id eſt, opera ſua iactare ſupra fidem cōmunem, & cultris incidere, id eſt, ſtatutulis & doctrinis ſuis ſeipſos torquere, nunquā tamen mortificare ueterem hominem &c.

Finiamus ergo tandem hanc diſputationem, concludendo, quod paupertas, obedientia, caſtitas, perpetuo ſeruari poteſt, uoueri, doceri, exigi non poteſt. Quia in ſeruando manet libertas Euangelica, in docendo, uouendo, exigendo non manet, ideo ſancti qui ea ſeruauerunt, libere ſeruauerunt, ſeruaturi etiam ſi nec uouiſſent nec docti nec exacti fuiſſent, ideo uotum eorum, quanquā ſtultum eis nihil nocuit propter fidem & libertatem ſpiritus. Incomparabiliter autem aliud eſt, aliquid fieri neq; doctum neq; exactum, & idem doceri & exigi faciendum. Hoc enim

religioſi in euang. in ſpiritu

tria vota ſeruari pot, docerī exigi no pot

est ex facto ius facere, ex opere præceptum, ex exemplo regulã, ex accidente necessarium, quo quid absurdius & perniciosius? At primũ est ex deo, alterum ex hominibus, ideo cum primo manendum, alterum uero dimittendum. Non ergo damnamus rem uotorum, si quis eam cupiat sequi, sed doctrinam & præceptum eiusdem damnamus. Actum est cũ uotis istis, sicut cum continentia agi cepit in Synodo Nicena, ubi cum aliquot annis sacerdotes & Episcopi uixissent cœlibes, sua sponte, moliebantur quidam hoc exemplum in præceptum uertere, & deinceps ad cœlibatum cogere necessitate conscientiæ, adeo iam tum etiam in tam sancta Synodo fides & Euangelium defecerat & traditiones hominum inualescebant, sed restitit uniuerso concilio unus Paphnutius, prohibens ne quicquã de cœlibatu statueretur. Quia hoc pertinebat implere ad Antichristum Romanum idolum. Ita cum monachi antea sponte cœlibes essent, egerent & obedirent, tandem in uotum necessarium posteri uerterunt eorum liberum & Euangelicũ exemplum. Nec fuit hic ullus Paphnutius qui resisteret, cum iam peccatis præualentibus, ira dei maturaret in orbem operationes erroris, sicut in Paulo prædixerat. Quare sanctus Bernhard. & alii, castitatem, obedientiam & paupertatem sub uotis, sed non secundum uota, imo secundum priscum patrum exemplum & Euangelium seruauerunt, & traditionem tum reprobam & institutum uouendi damnatũ humano errore lapsi probauerunt et docuerunt, cum ipsi longe aliud et aliter sequerentur, sed operatio erroris fuit stabilienda etiã patrum exemplis peruerse acceptis, propter eos qui non recepe runt cari- tatem ueritatis, ut salui fierent.

IIII. VOTA ADVERSARI PRAECEPTIS DEI.

VIDIMVS itaq; , ut monastica institutio sit non solum non ex deo , cuius nullum habet testimoniũ de scriptura, neq; ullum signũ aut prodigium, quo sit cœlitus comprobatũ, quin magis prohibitũ ac reprobatum , ut & aliæ omnes traditiones humanæ, uerum etiam aduersus fidem Christianam & libertatem Euangelicam pugnet. Iam quarto uideamus ut cõueniat cum diuinis præceptis. Impossibile.n.est, ut nõ aduersetur omnibus, quod ei aduersatur, ex quo & per quẽ & in quo sunt omnia. Ipse.n.cum sancto sanctus est, & cum peruerso peruersus. Ideo ut immundis nihil est mundũ, sed oia immunda, ita peruersis omnia peruersa & nihil rectũ. Atq; iterũ hic sanctos excusatos semel uolo , ne semper sit necesse eorũ exempla excusare. Non disputo , ut sancti uixerint sub instituto isto , sed de ipso instituto. Nõ ut tres pueri in fornace Babylonis uixerint sed an passim omnibus liceat in eandem fornacem ruere, aut aut ream regis statuam adorare. Nõ disputo an Paulus cœlebs uixerit, sed an exemplũ suum sit in ius & formã doctrinæ trahendũ. Idem Paulus totã legem Mosi seruabat, & tamen nolebat doceri & audiri eã ad seruandum. Ita Bernhardus sub uoto sine uoto ceu Apostolus sub lege sine lege , agebat. sed non ideo uotũ aut lex in doctrinã & formam uitæ redigi, imo aboleri debet. Et superius ubi de fide egimus, satis ostendimus , ut aduersus primã tabulam seu tria prima præcepta pugnet institutũ istud monasticum. Fides.n.in primo. Laus & cõfessio nominis in secundo. Et opera dei in nobis in tertio præcipiunt. In his tribus absoluit uerus ille & legitimus cultus dei. At institutio uoti, dũ docet opera, fidẽ euacuat (ut diximus) & inde abiecto noĩe dei, suũ erigũt. Neq;.n. Christiani amplius nec filii dei, sed Benedictini, Dominicani , Franciscani, Augustiniani dicunt. Hos & suos patres præ Christo iactãt. Neq;.n. hoc noĩe salui & iusti fieri præsumũt,

Excusat sanctos.

De prima tabula.

quod baptiſati, quod Chriſtiani ſunt, ſed hoc ſolo, q̃ ſui ordinis nomen habent, ideo in ſuum nomen confidunt, in hoc gloriantur, quaſi baptiſmus & fides iam olim uelut naufragio perierint. Non ergo aſſumunt & inuocant nomen domini niſi in uanum, ſed nomen ſuum, quod per opera erexerunt. Videas eñ eos plane deſperare, ſi ordinem ſuum non ſeruaſſe ſibi conſcii fuerint, neceſſarium enim ad iuſtitiam & ſalutem arbitrantur. Vbi autem ſeruaſſe aut doluiſſe de non obſeruato ſeſe uiderint, tum hoc nomine ſecure expectant coronam gloriæ, longe ſecurius, quã quod baptiſati ſint in Chriſtum, imo obliti ſunt, ne cogitant quidem unquã ſeſe eſſe baptiſatos in opera Chriſti, ut in eis cõfidant, ſua quærũt & ſpectãt, ut hoc nomine apud deũ coronentur, quod religioſi fuerint. Sat habẽt ſi ſuos patres æmulati, eorum tum ſtatuta tum exempla ſimilibus operibus attigerint, uel doluerint ſeſe non attigiſſe, ut autem Chriſtum habeãt & opera eius in fide contemnunt, O horrendam perditionem.

Ita uides, ut fides & primũ præceptum ſtare cũ doctrina monaſtici uoti non poteſt (niſi miraculo gratiæ dei) ita nec præceptum ſecundum cum eius iactantia & titulis. Cum enim ſolus Chriſtus aſcendat in cœlum, qui & deſcendit & eſt in cœlis, impoſſibile eſt, ut Benedictinus, Auguſtinianus, Franciſcanus, Dominicanus, Carthuſianus & ſui ſimiles in cœlum aſcendant. Omne enim hoc hominum uulgus cœlum petit lampadibus inanibus, id eſt, operibus propriis, & ſine operibus propriis nihil præſumunt apud deum, ſic enim docet eos forma uitæ & uoti ſui. At Chriſtianus aſcendit operibus alienis, nempe Chriſti, in quem baptiſatus & transplantatus, uiuit iam non ipſe ſed Chriſtus in ipſo, ſanctificans ei ſabatum pleniſſime ab operibus ſuis omnibus. Quam horrendum eſt igitur ea teneri conſcientia, non poſſe ſaluari, niſi ordinem tuum ſeruaris, poſſe autem ſaluari ſi ſeruaris? Nonne hic tacetur Chriſtus totus? At hæc conſcientia nuſquã eſſet, ſi uoti inſtitutum non eſſet, nunc autem ubiq; eſt. Nuſquã ergo ſabatum ſanctum eſt, ſed impletur illud pſal. lxxiii. Polluamus omnes dies feſtos dei in terra. Tu uide an hoc nõ ſit illud, quod Paulus Roma. ii. dicit, Qui abominaris

idola ſacrilegium facis, nomen enim domini per uos blaſphematur in gentibus. Quis ex omnibus hominibus iactat cultum dei æque atq; monaſticis? nemo idololatriã magis execratur, ſed ecce ſacrilegi ſunt. Quod ſacrum rapiunt? hoc quo omnia ſanctificantur, ſanctum nomen dei. Nomen enim Chriſtianum extinguũt, & ſuum ſtatuunt in eius locum, uolentes in eo ſalui fieri, quod in ſolo nomine Chriſti fieri poteſt & debet, ſicut dicit Petrus Act. xv. Nec eſt nobis aliud nomen datum ſub cœlo, in quo nos oporteat ſaluos fieri. Vt enim impoſſibile eſt, eum qui fide in Chriſtũ nititur, nomine proprio ſalutem quærere (neſcit enim opera & merita niſi Chriſti ſolius, ideo non habet nomen in quo ſaluetur & ſanctificetur, niſi Chriſti ſolius) Ita impoſſibile eſt eum, qui operibus & uotis nititur, non quærere proprio nomine ſalutem. Habet enim opera & merita, præter Chriſti opera & merita, habet ergo & nomen aliud præter Chriſti nomen. Hoc autem quid eſt aliud quã nomen Chriſti rapere & ſibi ipſi tribuere & dicere, ego ſum Chriſtus, ut ſupra ex Matth. xxiiii. retulimus? quo ſacrilegio, quid poteſt eſſe magis ſacrilegũ? Qui enim dicit, Ego per opera mea ſaluabor, nihil aliud dicit, quã ego ſum Chriſtus, cum ſolius Chriſti opera ſaluent, quotquot ſaluantur. Atq; hæc eſt iſta blaſphemia nominis domini in gentibus, quod ſanctitas & ſanctificatio alteri quã nomini domini iam paſſim tribuitur. Omniũ enim ore ordines eorum ſancti dicuntur, quaſi ſanctificent ſuos obſeruatores, aut quaſi ſanctum ſit in eis incedere, cum ſolum nomen domini ſanctificet, & in ſolo ipſo incedere ſanctum ſit. Huius uulgatiſſimæ blaſphemiæ autores ipſi ſunt ſuis ſacrilegiis, quibus nomen domini & opus nominis domini ſibi arripiunt & arrogant, ſeducentes & allicientes hac blaſphemia totum orbem.

Cum autem has ſacrilegas & blaſphemas opiniones ſeu conſcientias oporteat a Chriſtianis eſſe quã remotiſſimas, quid adhuc dubitas abſtinere, fugere, uitare, mutare uota monaſtica & totum eius uitæ genus? quod in hoc ipſum repertum eſt, ut tales conſcientias reddat, nec natura ſua poteſt alias reddere, & uideas præſente experiẽtia toto orbe tales reddi. An ſi uideas Core Core ſecta.

cum tabernaculis & ſubſtantia ſua abſorberi, tu manebis in me dia uoragine, nec ſaltem reliqui Iſrael prudentiam imitaberis & fugies dicens, Ne forte & nos terra abſorbeat? An te morabit, quod filios Core illic manentes uideas ſeruari? Sed ſcito, id cõ tigiſſe (ut Moſes ſcribit) magno miraculo. Negare enim non potes, monaſticum inſtitutum eſſe ſeditioſum aduerſus Chri-
Monachia forte pe Coreice /
ſtum & proprie Coreticum. Excitat.n. ſectas in populo Chriſti, & ſicut uides, aduerſus fidem docet, fidere & metuere ab ope ribus propriis, cum dare non poſſis (citra miraculum) ullum religioſum, qui non teneatur hac ſacrilega & blaſphema conſci entia, ſaluũ ſe fore, ubi ordinem ſuum ſeruarit, damnatũ uero ubi non ſeruarit, ut quid alioqui uoueret & ſeruaret, ſi talis eius conſcientia non eſſet. Quid hoc te iuuabit, ſi filii huius Core, ſeruati ſint in tabernaculis iſtis ſacrilegis & blaſphemis? Miracu lum diuinæ uirtutis eſt, non uulgare præſcriptum uiuendi. Bene autem appellatus eſt Core, quod interpretatur caluus ſeu calui cium, quod Apoſtolo teſte, uir ſit gloria dei & uelare comam non debeat, ut Core iſtũ ſedicioſum intelligas ſine capite Chri ſto, ſine gloria dei, ſeipſum in caput erigere, ſuo nomine pro prio gloriari aduerſus Chriſtum. Quã proprie Petrus. ii. Pet. ii. eos deſcribit, dum dicit, eos eſſe magiſtros mendaces, qui opi niones & ſectas perditionis iuxta introducent, & dominum qui eos mercatus eſt negantes, per quos uia ueritatis blaſphemabit. Quæ ſunt illæ opiniones & ſectæ perditionis, niſi conſcientiæ, doctrinæ, ſectæ illæ prædictæ & ſacrilegæ & blaſphemæ, quibus
In loco Chriſti opa ponimus /
Chriſtus abnegatur cũ operibus & nomine ſuo, & in locũ eius opera & nomina hominũ ſtatuũtur, & eis tribuit, id qd Chriſti eſt, iuſtitia, ſalus, ſanctitudo? Sed hic ſacrilegi illi, ut ſunt incor rigibiles & increduli, cũ uiderint ſeſe tam manifeſtario ſacrilegio comprehenſos, effingent more ſuo diſtinctiones quarũ ſunt fe cundi ualde, dicentq; ſeſe nunquã docuiſſe aliter, quin Chriſtus & gratia dei ſint principalia in ordinibus & optima, ſicut ſancta ſanctorum. Cæterũ ordines eſſe ſanctos minus principaliter ceu ſanctũ participatiue &c. ſiue aliud proferent capitis ſui figmentũ, ne capti & confuſi uideant. Quibus reſpondeo, & cur ab initio

non ista docuerunt? Quis animabus iã perditis & nunc pereuntibus hanc distinctionẽ in futuris seculis aliquãdo excogitandã reuelauit? quæ simpliciter, ut sonat, sanctũ intellexerunt, ignorantes occultã hanc æquiuocationis illusionem. Sed adhuc age surgant & doceant sicut nunc distinguũt, clament ad uulgum in hunc modũ, Scitote, q̃ multo melius est esse simpliciter Christianũ quã religiosum. uidebis quot sint intraturi imo mansuri in monasterio. At nũc docent religiones esse multo meliores & sanctiores cõmuni statu fideliũ. Hæc est uox illa perditionis, qua fideles a Christo diuellunt spe maioris pietatis, quã in Christo inuenerũt. Hoc est sacrilegiũ, hæc blasphemia, cũ qua Christus manere nõ potest, quã nisi iactarent ipsi manere non possent.

Sanctũ principale, minus principale.

Nec est quod iactent maius & principale augeri accessione minoris & secũdarii. Etiã si hoc uerũ esset, quis rudi uulgo moderabitur, ne minus pro maiore apprehendat, sicut modo facit? Miraculum est, hic nõ errare, ideo scandalũ hoc de uia tollendũ est, & unicũ illud maius proponendũ. Deinde cur nõ tantopere suadent hominibus, ut minore relicto apprehendant maius, & religiosos docẽt exire quantopere a maiore inuitant ad suũ minus, & alliciunt ad intrandas religiones? Nunc autẽ dupliciter hoc mentitũ est. Primo, quod reuera suũ monasticũ institutum pro maiore & principali habent, & Christianũ pro minore & cõtempto. Hoc probant eorũ sacrilegæ & blasphemæ uoces ad religionẽ exhortantes, potius quã ad Christianismũ. Alterũ mendaciũ, quod & aliud sanctũ fingitur. Solus.n. Christus sanctus est, nec patitur ut ullo alio nomine sanctificemur & saluemur, ut supra ex Petro retulimus. Quare quocũq̃ te uerteris, inuenies institutum impium, sacrilegum, blasphemum, aduersarium Christo esse natura sua, perditionisq̃ efficax causa omnibus qui non cũ filiis Core seruant miraculose. Ita iacet quidem uerus ille cultus dei, tribus præceptis primis institutus, & uiæ Zion lugẽt, eo quod nõ sit qui ueniat ad solennitatẽ, in cuius locũ illi alium substituerunt, sese plane dignissimũ, qui est pompa illa cerimoniarũ in ueste, gestu, cantu, lectiõibus, in quib. omnibus nihil fidei neq̃ nominis, neq̃ operis est diuini, sed oia sunt humanissima.

Enarratio cap xiiij. primæ Corinth.

Atq; ex instituto Pauli.i.Corin.xiiii.uidetur usus huius uestigiũ esse reliquũ, ubi docet tria fieri in conuentu Ecclesiæ, Linguis loqui seu psallere, prophetari seu interpretari, & orare. Scilicet primo recitabatur aliquid e scriptura uel psalmis. Deinde prophetæ interpretabantur & docebant. Tertio in cõmuni orabatur. Diuina & Christianissima institutio, sed ad docendum & exhortandum, hoc est, ad fidem alendam ordinata. Primũ æmulantur hodie lectionibus matutinalibus, Epistolis, Euangeliis, & singularibus cantibus. Alterum Omiliis, Tertium responsoriis, Antiphonis, Gradualibus, & quæcunq; cõmuniter leguntur uel cantantur, sed infœliciter omnia. Non em̃ docendi aut exhortandi sed operandi tantum studio omnia fiunt. Sic enim legisse, sic cantasse, sic boasse, illis satis est. Hoc opus quæritur & uocatur cultus dei. Quid autem legatur & cantetur, aut cur legat & cantetur, ne in mentem quidem uenit, nec est propheta qui interpretetur & doceat. Proinde ne sint ociosi in hoc mirabili cultu dei, dedunt sese curæ & sollicitudini prælegendi, præcantandi, recte distinguendi, pausandi, terminandi, attendendi, hoc unum spectantes, ut bene, deuote & laudabiliter legatur & cantetur. Hic est finis ultimatus huius cultus diuini. Ibi disciplinæ, pœnæ, articuli, statuta, peccata & merita hoc cultu dignissima. Dicas hunc gra uiss.mũ cultũ dei in hoc exerceri, ut uiri illi magni & graues saltem particulam aliquam grammaticæ & Musicæ toto uitæ tempore discant. Quid enim aliud quærere possunt iudicari? Si intret (ut Paulus ait) aliquis infidelis in medium horum mugientium, murmurantium, boantium, uidẽs eos neq; prophetare neq; orare, sed tantũ suo mòre sonare ceu fistulas illas organorum, quæ sibi optimo consilio sociauerunt, & simile iuxta simile suum posuerunt, nonne optimo iure dicet, Quid insanitis? Quid enim sunt nisi fistulæ aut tibiæ illæ, quas Paulus dicit, nullam uocum distinctionem dare, sed tantum in aera sonare, non aliter quã si quis declamaturus suggestum conscendat, & horam totam sonet uerba peregrina in populum quæ nemo intelligat? Nonne hic in aera loquitur? Nõne insanus iudicabit? Scilicet talis cultus decebat sacrilegos & blas-

Monachorum studia.

phemos

phemos aduersarios Christi, ut essent nihilo meliores mutis illis & ligneis fistulis, multo labore sonantes, nihil docentes, nihil discentes, nihil orantes, & tamen hoc opus insaniæ pro summa latria iactarent, omniũ opes illius meritis ad sese corruarent. Et hanc quidem domum talis decet sanctitudo.

Nihil hic de sanctis dico, qui pio usu in his sunt conuersati ludibriis. Ipsum hunc cultum dico, si cætera non mouerent ad rumpenda & dimittenda uota monastica, abunde satis iustam causam esse. Quid enim est nisi merum ludibrium, seu ut Apostolus ait, insania? At hoc est quod primario loco uouetur, hoc quærunt qui religiosi fiunt. Sic em̃ deo seruire proponũt, propter hoc, mundum, res & parentes relinquũt, propter hoc abnegant semetipsos, ut Christum sequantur. Sic enim audaces & blasphemi homines diuina oracula Christi aptant ad hanc puerilem, ridiculam & stultam scenam, in qua ipsi prostant tanquã fistulæ, tubæ, sambucæ mutæ & insensatæ ad obsequiũ dei, simul uerum cultum dei abnegantes. Nonne si seria te uouisse scires, & postea intelligeres ludicra & ridicula esse, uoti tui te pœniteret? nonne mutares? nonne errore excusareris, qui uouisses malum quod ignorabas? Certe sic uides cõtingere in uotis monasticis hodie. An putas gratum & probatum esse apud deum hoc uotum? An ille quærit multas mutas fistulas sibi congregari, quæ delectent eum sonantes in aera? Video Bernhardum & similes diuinitus seruatos, ut hæc ludicra serio qualicunq; temperarent. Extant sermones eius, quos prophetauit & docuit in congregatione fratrum, quo unico opere retulit priscum Pauli institutum, seq; & suos secum seruauit, sicut Paulus de Timotheo dixit. Ac si in monasteriis eiusmodi Bernhardi essent, tolerari possent propter serium Pauli institutum ex parte obseruatum. At ubi sunt meræ mortuæ fistulæ & mutæ tibiæ, quæ in aera sonant, cũ Paulus dicat eas ab infideli cõtemni & insaniæ accusari, quanto magis a fidelibus relinquendæ & fugiendæ sunt? nisi malumus esse peiores quã gentes & infideles, & hoc sanum & pium arbitrari quod illi insanum, etiam Pauli consensu, merito appellant, ne ergo credas uotum tuum apud deum exigi aut

Bernhardi Homiliæ.

probari ſuper has inſanias, ſed cum fiducia credas reprobum & damnatũ eſſe, cũ hic non ſolum tentare ſed & irridere deũ uideantur iſtis ludibriis. Atq; hæc de primis tribus mandatis, pauca pro tempore ſatis ſint.

ADVERSARI VOTA CARITATI.

Vide liberum &c. bonis operibus

VENIAMVS ad ſecundam tabulam, & mandata eius in duo iſta colligamus, in obedientiã parentũ, & charitatem proximi. Nam poſt fidem in deũ, nihil maius eſt parentum obedientia, de qua magnifice Paulus. i. Timot. v. Diſcant primũ domum ſuam regere & mutuã uicem parentibus reddere, hoc enim acceptum eſt coram deo. Hic Paulus prohibet prorſus, ne uidua aſſumatur, ſi habet domũ quã regat & parentes quibus obſequatur, addens etiã, Si quis ſuorũ & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit & eſt infideli deterior. Iam ſuperfluum eſt recenſere, quomodo caritatem omnibus præferat. i. Corin. xiii. Omnia faciẽs nihil eſſe quæ ſine charitate fiunt. Id autem quod Paulus de uidua dicit, prorſus de omnibus filiis intelligendum eſt. Iterum hic nihil de ſanctorũ exemplis ſeu de facto miraculoſo, ſed de ipſo inſtituto uouendi loquor, & autoritate diuina pronũcio & decerno, Nullum uotum fieri poſſe abſolute, ſi piũ & gratũ eſſe deo debeat, ſed omnia inuoluũt conditionẽ, ſcilicet exceptæ obedientiæ parentũ & charitatis proximi. Qui. n. uouerit aut uotũ ſeruauerit contra obedientiam parentũ et contra charitatẽ proximi, anathema ſit, ſeu ut Apoſtolus hic ait, fidem negauit et eſt infideli deterior. Nihil. n. aduerſus deũ ſed pro deo ſolũ poſſumus. Cũ uero inſtitutũ monaſticum et impiiſſime et impudentiſſime doceat palam, nõ licere parentibus obedire nec curare quæ aliorũ ſunt (quippe monachũ mundo mortuũ dicunt et deo dicatũ, Cõn parentes vom farock no Tebing

Morbo manet in clauſ. ſine parentib ſine pp̃ pietas ſine no

debere tantũ in monaſterio agere. Egeant, pereant, habeant parentes proximi imo totus mundus) anathema ſit ipſum ſimpliciter uel uouere uel ſeruare. Habent hic exemplũ in uitis patrum et impiũ et crudele, ubi mater duos filios Eremitas uiſitabat uidere cupiens materno affectu fructus uteri ſui, At illi clauſa ianua

negauerunt matri faciem suã, promittentes in futura gloria sese uisuram, si ferret in hac uita negatũ conspectum. Hoc exemplũ cũ audio iactari (qualia multa sunt in uitis patrũ) uideor mihi audire laudatores Lucretiæ, aut Saulis, quod seipsos magnanimiter interfecerint, aut alia quædam portenta gentilium. At illi uirtutem et Christianã uocant. Huc deprauant et illa Christi salutaria et cõmunia uerba, Qui amat patrem et matrem plusquã me non est me dignus. Et iterum, Qui reliquerit domũ uel fratres &c. centuplum accipiet & uitã æternam possidebit. Et psal. xliiii. Audi filia & uide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuũ & domum patris tui &c. Hæc & similia uerba, quæ spiritus sunt & uita, de fide Christi sonantia, propter quã omnia relinquẽda sunt, sacrilegi isti & blasphemi aptant suæ morti & mendacio & carni & sanguini.

Hic ueni in locũ indignatiõis meæ & ardeo me ulcisci, de plus quã sacrilegis & blasphemis istis mendaciis & insaniis, sed desunt & uerba & cogitatus, quibus monstra hæc pro dignitate aggrediar. Propter hanc uel solam abominationem, eradicata, extincta, abolita cupio, sicut & oportuit uniuersa monasteria, quæ & utinã ereptis Lot & filiab. suis de medio eorũ, dominus igne & sulphure cœlesti ad exemplum Sodomæ & Gomorræ demergeret in profundum, ut ne memoria quidem eorum superesset, neq; enim satis fuerit illis anathema imprecari. Vide nunc sanctum & egregiũ tuum uotum. Superius uouisti, nolle te Christianum amplius esse, sed quia sublimis est sensus fidei, subtilis error excusauit impudẽtiam. At hic uoues impudentissimæ impietati, quæ te non acceptat, nisi abneges, parentibus obedire & proximis seruire. Me miserum, ut fortiter urit ista audacia & impudentia aduersus aperta dei mandata aperte insaniens, & adhuc laudem & uitam æternam promittens. Finge uniuersos monachos angelorum sanctitate pollere, adhuc instituturum ipsum aduersus mandata dei manifeste insaniens, non solum uoueri & seruari non debet, sed uitari & execrari ut summa impietas. Si uoueres homicidium uel adulterium, uotum irritum & damnatum iudicaretur, cur non irritum & damnatum est,

Gromarbarg logr

si uoues inobedientiã parentum & crudelitatem erga proximũ, aut si profitearis cursurum te cum furibus, & cum adulteris portionem tuam positurũ, nõ licebit tibi consilio Salomonis uti, & recedere a peccatoribus qui te lactant ad malum? Sed audiamus excusationes in impietate. Primum dicunt, Meliorem esse obedientiam quã uictimam, ideo nõ licere proximis seruire aut benefacere, absq; licentia sui maioris. Secundo, patres spirituales præstare patribus carnalibus, ita & obedientiam illorũ præferendam horum obedientiæ. Tertio, charitatem nihilo minus exerceri inter fratres monasterii. Hæc illi. Vides ergo obedientiã & charitatem per illos e publico tolli & in suum angulum cogi. Videamus autem tria ista per ordinem. Primum illud, Melior est obedientia quã uictima, præcipue & solum pertinet ad mandata diuina, & recto impetu facit contra monasticam. Nam qui uouet monasticen, sese offert uictimam deo (ut dicunt) sed hãc uictimam abominari sese dicit dominus, si fiat contra obedientiam mandati sui. At mandatum suum est, Obedire parentibus & seruire proximis. Est ne igitur hæc insignis peruersitas, hoc appellare obedientiam supra uictimam, quod deus appellat uictimam aduersus obedientiam. Sic intelligere docent Monastici diuinas literas, ut ea quæ de dei mandatis dicuntur aptent mandatis hominum, & quæ aduersus mandata hominum dicunt, aptent aduersus mandata dei. Hac igitur obediẽtia pertinaciter usus, Minorita non porrigit neq; portat proximo suo pecuniã, etiam si ille sit inopia consumendus, & quantum in eo fuerit, fratrem suum fame, nuditate, inopia conficit, post gloriatur aduersus deum, Meliorem fuisse obedientiam quã uictimam. Scilicet quia in baptismo uouit obedientiam dei, sed quã in monasterio noua obedientia hominum euacuauit.

Quid sit melior esse obedientiam quã victimam.

Eadem obedientia pulchre sese exonerauerunt operibus illis misericordiæ, quæ Christus Matth. xxv. in iudicio sese exacturum minatur. Videat monachus famelicum, sitibundum, nudum, uagum, captiuum &c. sed caueat ne egrediatur monasterium, ne uisitet infirmum, ne consoletur tristem, sed sinat ire & perire quicquid perierit, claudat uiscera sua, etiam si possit illum

ſuuare, poſtea dicat, ideo ſeſe omiſiſſe charitatem, quia noluerit uictimam offerre præ obedientia. Idem faciat, ſi pater aut mater opera eius ceperint opus habere, ut uel paſcat, uel ſeruiat eis. O furorem inauditum. Ego ſane in meo monachatu, quanquã hebes ſum & rudis, nihil tamen egrius tuli, quã hanc crudelitatẽ & negatæ charitatis ſacrilegium. Neq; potui unquã perſuaderi, ut quietus crederem rectã & licitam eſſe obedientiam iſtam monaſticam aduerſus charitatem tam impudenter ſæuientem. Dicent uero hic, Si iſta monachis detur licentia uagandi, peribit uniuerſum inſtitutum monaſticum, deſolabuntur monaſteria, ruet cultus dei, ſingulis euntibus, ut parentibus & proximis egentibus miniſtrent. Pulchre. Vt ergo ſtent lapides & ligna, ut perſeueret fiſtularum ululatus & murmur in choro, ut raſura capitis & longa tunica non deponatur, mandatum dei deferendum eſt, pro quo etiam ſanguis fundendus, anima & omnia ponenda ſunt, quã ſapienter quã æque iudicant iſti uiri de mandatis dei. Nonne hoc eſt quod dixi, Monaſticum inſtitutum & diuinum mandatum ex diametro natura ſua pugnare? Si enim diuinum mandatum ſeruare uoles, uotum perpetuum ſeruare nõ potes. Elige utrum uolueris, & quid rogo damni patietur inſtitutum monaſticum, ſi religioſus egrediatur, ubi opus fuerit, ſeruiturus parentibus, uiſitaturus infirmos, & ſeſe impenſurus diuinæ obedientiæ & charitati? Num ideo neceſſe eſt caſtitatem & paupertatem & obedientiam ponere? poterit enim reuerti expleta obedientia dei & charitate. Et quid ſi non reuerti eum ſinat obedientia & charitas? in quid peccabit? in lapides & ligna? quod non ſteterit in choro, non induerit cucullum, non fuerit raſus, non dormierit cõmuni dormitorio, non ederit cõmuni refectorio, non murmurarit cõmunes bombos uocum non intellectarum. Scilicet iſtæ res tantæ ſunt & ſalus in eis ſic eſt poſita ut diuina mandata propter ipſas oporteat pedibus conculcare? Scilicet deo ſe dedicauit, qui iis rebus ſeſe dedit, & non dedicauit ſeſe deo, qui uouit obedientiam parentum & charitatẽ proximi in baptiſmo? Quid iſtis inſanis dicemus? niſi illud Chriſti, Marci. vii. Bene irritum feciſtis mandatum dei ut traditiones ueſtras ſeruetis.

Salſum.

Mihi ſi eſſet monaſtici ordinis profitenti ſed dei charitati deſeruiri,

Vouere q̃ deū no potes. Certus itaq; esto quilibet Christianus, quod sicut uouere non potes ut neges deum & mandata eius, ita uouere non potes, ne obedias parentibus & seruias proximis, cũ deus mandarit obedire parentibus & seruire proximis, ideo uotũ tuum cum fiducia sic interpreteris, ut ubi parens uel proximus tuus te opus habuerit, uotũ iam prorsus non tenere autoritate ipsa dei certissimus sis. Sunt ne hæc satis clara? Quis contra hæc potest quicquam mutire? Si unũ mandatum propter uotum potes dirumpere, potes omnia dirumpere, & totũ deum negare. Si autem nõ potes deum nec uniuersa negare, nullum (ne minimũ quidem) potes negare aut dirumpere. Monasticum.n. uotũ pro mandatis non aduersus mandata dei ualere debet, & semper eisdẽ cedere, etiam si perpetuo eis cedendum & uotum prorsus abolendum sit. Non potest, ne dubita, deus ipse uotũ a te exigere aut factum agnoscere, aduersus unum iota sui mandati, fidelis & uerax est, seipsum negare non potest. Quod si iactent, parentũ obedientiã cedere merito debere cultui dei, nam cultus dei primo mandato iubetur, obedientia parentũ quarto. Respondeo, Cultum dei monasticum superius audisti, ludibrium esse. Impossibile autẽ est uerũ illum cultum dei impediri obedientia parentum & seruitute proximi, imo ipsa obediẽtia & proximi seruitus est ipsissimus ille & germanus cultus dei, quem illi ludicro & circulatorio suo cultu euacuant. Quid enim est colere & seruire deo aliud, quã seruare eius mandata? At obedientia & charitas proximi mãdata est. In choro autẽ boare aut murmurare mandatũ non est, imo cũ sit deum tentare & irridere, prohibitum est. Neq; oratio, quod potissimũ est in eorũ cultu, sed nec ipse boatus impedit per obedientiã parentũ & seruitutẽ proximi. Poteris.n. inter obediendũ & seruiendũ, ut castus & pauper uiuere, ita orare & boare, quantũ uolueris, hoc solũ impeditur, ne lapides & ligna cõmuniter teras et occupes cũ aliis, præsente corpore. Si autẽ parentes uel proximi te iuberent negare fidẽ, nomen & opus dei, quæ prima tabula diximus mandari, hic locũ haberet, quod illi iactãt, cultui dei cedere debere obedientiã parentũ & oia. Sed hic cultus cõmunis est fideliũ, & nusquã minus,

Cultus dei est prima mandata eg. 1

quã in monasteriis istis seditiosisq; sectis, ut ex supradictis intel-

Quod uero secũdo dicunt, sese spirituales (ligi facile potest. esse patres, æque pertinet ad ficta illa uerba, quibus S. Petrus eos prædixit, de nobis negociaturos esse, atq; illud qd' de obedientia & uictima fingũt atq; peruertunt. Spirituales patres sunt, qui nos docent ante oia mandatis dei obedire, parentibus subdi, proximis seruire, sicut Apostoli fecerunt. Ipsi uero cum aduersus hæc doceãt, mandata hominũ & sua propria, spirituales patres sunt, sed secundũ spiritũ erroris, de quo Paulus prædixit. i. Timot. iiii. attẽdentes spiritibus erroris. Nã nec Apostolis obediendũ esset, adeo neq; angelis, aduersus obedientiã parentũ & caritatẽ proximi docentibus, quãto minus obediendũ est istis impiis & sacrilegis hominibus, deterioribus quã sint infideles & fidẽ negantib. Si uero docerent purã fidẽ, & parẽtes aut proximi te nollent ab eis discere, hic plane nõ essent audiendi, quanquã ne sic quidẽ perpetuo obedientiã & seruitutẽ ullo uoto eis subtrahere possis. Nõ. n. ut fidẽ discas necesse est parẽtibus & proximis te subtrahi & aliis perpetuo subdi. Paulus Philemonis Onesimũ non filiũ sed seruũ, iã sibi in filiũ spiritualẽ genuerat in uinculis positus, sicut gloriat' & cũ ius haberet in ipsum adeo Philemonẽ, quẽ & ipsum genuerat, nõ tamẽ sibi subiicit sed hero suo remittit, eius consensum quærẽs. Quid putas fecisset si Onesimus fuisset filius? Et nostri cũ nec fidẽ nec sana, sed oia sacrilega doceant, auellere audent filios a parentibus perpetua seruitute. Proinde sicut uxor potestatẽ habet extrahendi uirũ e monasterio, citra consensum suum cucullatum, siue sit in sacerdotẽ unctus, siue lotus, ita habet pater aut mater ius extrahendi filium uel filiam e monasterio. Et filius uel filia sub necessitate salutis & indignatione dei tenet' sequi & cucullũ ponere absq; scrupulo, pro irrito habens si sexcenta uota uouisset, & tot characteres indelibiles haberet, quot sunt capilli capitis sui. At nũc filios a parentũ obediẽtia soluũt in totũ, garriẽtes, in rebus spiritualib. unũquẽq; liberũ esse. Cur ergo nõ & cõiuges separãt' aut cur nõ & infantes auellunt ab uberibus matrũ, si hoc satis est, qd' in spiritualib. rebus libertas est? An nõ & infantes sunt in eisdẽ spiritualib. rebus?

Cõmentũ de spiritualib. patribus.

Philemonis Onesimus.

Nota de domini consensu.

Parentib. esse ius reuocandi gnatos e monasterijs.

Quin hac ratione omnes filios a parentibus, omnes seruos a dominis, omnes populos a magistratibus aueliamus, omnia federa, omnia pacta, omnes contractus soluamus, dicentes in rebus spiritualibus omnes liberos & sui arbitrii, neminem uero alterius iuris esse, sed res spirituales illi uerborum fictorum autores uocant suas humanas traditiones, cæci, sacrilegi & blasphemi.

Sic quod charitatem exerceri inter ipsos monasticos posse ut inuicem seruiant, uerum est, sed non uere dictum. Charitas em̃ libera est, nullis personis proprie addicta, at illi suis & sibi ipsis duntaxat alligant, aliorum prorsus negligentes, quæ charitas ficta est, & fomentum sectarum & odiorum, sicuti uidemus, monasteria aduersus monasteria, ordines aduersus ordines mutuo insanire & zelare. Germana autem illa & uniuersalis charitas ab Apostolo. i. Corin. xiii. descripta, quæ omnibus exposita est amicis & inimicis ad seruiendum, est illis prohibita & illicita. Quia ut supra diximus, religioso non licet exire monasterium, uisitare infirmos, & alia Christiana obsequia impendere, etiam si opus sit & possit, imo contra peruertentes omnia, positis manuum operibus, ipsi ociosi sinũt solis sibi benefieri a toto mundo, omniũ substantiam deuorantes, bene sani & robusti, magno etiam incomodo uere pauperum, rependunt uero suis benefactoribus spiritualia opera misericordiæ, quæ sunt, cultus ille dei, quem supra descripsimus, multum murmurando, boando, halando, legendo &c. In primis autem Missæ illæ execrabiles & abominabiles coram deo. Hac figura uerborum & extinguũt uera illa quæ Christus exigit opera misericordiæ, & seipsos solantur super extinctione eiusmodi, nequando impietatẽ hanc agnoscant & pœniteant & uenia digni fiant. Si pro solis adolescentibus eum morem seruarent, ne passim liceret uagari, quo ætas mollior & fluxa facilius frenaretur, & in monasteriis disceret domesticam charitatem, quã postea in publico exhiberet cõmunem omnibus, tolerabilis imo bona foret institutio. Nunc uero tota uita pueri sunt & domesticam discunt charitatem, imo eam summam & solam arbitrantur. Videmus autem diuinum opus in Bernhardo & similibus, quos ne in puerili illa

Caritas nullis personis addicta.

Legere loquitur

Missæ sacrificium fat signos in charitate

& angusta

& angusta charitate relinqueret, rapuit in medias res mũdi magnas & multas, ut in iis charitas genuinam suam uim ostenderet, diffusa, dilatataq; ad omnes, omnibus exposita & parata, atq; hoc secreto miraculo illos seruauit, ne perirent in damnabili isto instituto angustæ et fictæ charitatis, in qua cæteri hoc opus dei non intelligentes, perierunt. Quanquam non negem aliquos ea charitate saluos factos, qua solis suis seruierunt, quod occasio eis defuerit & aliis seruire, cum ipsi parati essent omnibus seruire. Ipsum institutum damno, quod prohibet seruire aliis quã suis monasticis.

Vt igitur demus aliquot seruatos, qui nõ peccauerint in obedientiam parentum & charitatem proximi sub uotis agentes, tamen uidemus hic euidentissime, ipsum institutum uouendi ex natura sua aduersari mandatis dei, de obedientia parentum et charitate proximi, Ideo nõ licere neq; posse uoueri aut seruari. Ac per hoc impossibile apud deum pro uoto haberi et exigi. Neq; eos, qui seruati sunt, eiusmodi uota uouisse certum est, aut si ita uouerunt deum eorum errori indulsisse et non acceptasse, quo modo ipsi uouerunt. Damnabile itaq; est in eo uitæ genere inueniri, quod uideas natura sua cũ diuinis mandatis pugnare, et non nisi ociosos homines gignit, qui uelut locustæ, erucæ, bruci omniũ aliorum substantiam deuorant, seu ut Petrus ait, nostris charitatibus ad luxum utuntur, ipsi uero nullis seruiũt, nullis exhibent charitatem, nullis benefaciunt, et ut tales sint uouent et seipsos astringunt, propter deum, dei mandata pessundantes, uerba dei deprauantes, et ad sua figmenta torquentes, et plane omnia peruertentes. Atq; ut aliud nihil malorum apud eos sit, ipsæ execrabiles Missæ eorum, quibus in sacrificia et opera bona uersis, abominanda peruersitate retribuunt suis benefactoribus spiritualia, id est, faciunt eos fidere in mendacia, et secũ trahunt in profundum cæci cæcorum duces. Hæ inquã Missæ satis magno terrori esse deberent, ut si quis imprudenter eorum se miscuisset uotis, mutata sententia consortium relinqueret, & ad simplicitatis Christianæ puritatem rediret, cum ex omnibus prædictis certissime constet, non posse fieri pium & gratũ deo

Missæ.

uotum, in hoc uitæ genus, aut si fit, erroneum est, quod alia præsumit quã inuenit, ideo necessariũ sit, aut impiũ aut falsum uotum uoueri in monasteriis, quorũ neutrum tenet apud deũ. Quare liberũ semper manet imo necessariũ, mutare & reuocare hoc uotũ, & redire ad libertatẽ Christianam & mandata diuina. Hæc de quarto loco dicta sint, pergamus ad alia.

V. ADVERSARI RATIONI MONASTICEN.

VINTO comparemus institutum istud etiam ad rationem naturalem, hoc est, ad crassum illud & lumen naturæ, quæ tametsi lucem & opera dei nõ attingat per sese, ita ut in affirmatiuis (quod aiunt) fallax sit eius iudicium, in negatiuis tamen est certum. Non enim capit ratio, quid sit deus, certissime tamen capit, quid non sit deus. Ita licet non uideat quid rectum & bonum sit coram deo (nempe fidem) scit tamẽ euidenter infidelitatem, homicidia, inobedientiam esse mala. Qua & Christus utitur, dum disserit, Omne regnum in seipsum diuisum desolari. Et Paulus dum dicit, nec naturam docere, ut mulier nudato capite prophetet. Quod ergo huic ratiõi euidenter aduersatur, certum est & deo multo magis aduersari. Quomodo enim cœlesti ueritati non pugnabit quod terrenæ ueritati pugnat? quo modo & Christus Iohan. iii. ueritatẽ distinguit, & ex utraq; arguit, Si terrena uobis dixi & non creditis, quomodo si cœlestia uobis dixero credetis? Videamus itaq; ut institutũ monasticum nõ solum aduersarium sit legi & Euangelio & uniuersis scripturis uerbis & operibus dei, uerum etiam communi omniũ sensui hominũ. Ac inprimis id apprehendamus, uotũ etiã si per omnia pium & rectũ fuerit, tamen si impossibile factum fuerit, desinit esse uotũ, nec amplius etiã apud deũ potest ligare. Exempli gratia, Vouisti peregrinari ad S. Iacobũ, sed interciperis uel morte uel inopia, uel morbo uel captiuitate. Hic sine scrupulo uotũ omittitur & probatur, omne uotũ fieri cõ-

De uotis impossibilibus.

ditionaliter, & ſemper exceptam intelligi impoſſibilitatem. Clara ne & certa ſunt hæc ſatis? Quod enim de uno uoto aſſeritur, de omnibus aſſeri debet. Omnia.n. ſiue magna ſiue parua, ſiue temporalia ſiue perpetua, æqualiter hoc præcepto comprehenduntur, Vouete & reddite, ſicuti uidebimus. Si ergo in uno excepta eſt impoſſibilitas uel minimo, etiam excepta eſt in quolibet uel maximo. Si igitur cœlibatum uoueris, & poſtea ſenſeris impoſſibilem tibi, nonne libere nubere potes, uotum tuum interpretatus conditionaliter? Quid enim hic obſtat ne ſic facias & poſſis? An non eſt infirmitas carnis tantum impedimentum cœlibatus, quantũ inopia uel morbus peregrinanti? Quin ipſa diuina mandata, cum ſint citra omnem controuerſiam immutabilia, tamen quo ad opera externa, exceptam habent impoſſibilitatẽ. Neq;.n. damnabis S. Petrũ, quod uinctus ab Herode, non prædicauit, nõ ſeruiuit proximo ſuo, ſicut habet præceptũ charitatis, ſed beata impoſſibilitas eũ excuſat. Nec Paulũ facies reum omiſſæ charitatis, qd' ſæpius uoluit uenire ad Romanos & tamen prohibebat. Et Act. xvi. in Bithiniã ire uoluit, ſed nõ permiſit uel uentus uel ſpiritus. Et martyres in carceribus impios dicemus, niſi opera omittere potuerunt, impoſſibilitate urgente.

Si rationabiliter uouisti nubere potes

Impediri opa charitatis implere nõ ipsis

Sed hic dices, Coronat deus intus uoluntatem, ubi non inuenit foris facultatẽ, ideo deuotarius ille S. Iacobi implet uotũ ſuũ uoluntate, ubi non poteſt facultate, ſic & ſancti implent mãdata dei. Hic reſpondeo, aut hoc nõ facit ſatis, aut firmat meũ propoſitũ. Non facit ſatis, quia tam uotũ quã præceptũ ſpectat non ſolã uoluntatẽ ſed & opus. Opus ipſum peregrinationis uouit, non uoluntatẽ. Quid.n. eſſet uouere, uoueo tibi uoluntatẽ peregrinandi ad S. Iacobum? Ita præceptũ dei ad opus cogit. Quid.n. eſt, præcipio tibi ut uelis facere? quare hic demõſtratiue concludo, uota ſemper excipere impoſſibilitatẽ, ſicut & externa opera mandatorũ dei. Quare & cœlibatus ſi eſt impoſſibilis poſt uotum, in uoto non eſt comprehenſus, ſaltem opere externo. Nec habes quod hic opponas. Si autẽ ſatis eſt uolũtas ubi deeſt facultas, habeo propoſitũ, quia de eo ſolo diſputo, qui uellet uotũ cœlibatus implere, & per infirmitatẽ carnis non poteſt,

Voluntas nõ ſuffitit pro opere

ut qui ſæpius tentarit, & tamen nec ieiuniis nec ullis ſtudiis carnem premere poteſt, cogiturq; inuitus aliquãdo & uictus flãma libidinis experiri fluxus immundos uel uigilans uel dormiens, alioqui uitæ inculpatæ. An hic dices, ut aliqui ſolent ſtolidi & animarum prorſus incurii dicere, Orandum eſſe deum pro gratia, qui nemini negat. Pulchre. Cur non etiam ſancto Petro conſuluiſti, ut oraret deum, ne Herodes eum uinciret? Cur Paulus non orauit, ne prohiberetur uenire ad Romanos? Cur martyres non orabant, ne carceribus impedirentur ab operibus charitatis? Et deuotarium illum ſancti Iacobi cur non doces, ut oret ne inops fiat, ne egrotet, ne moriatur, ne capiatur? Scilicet iſte eſt modus ludendi in rebus tam ſeriis? Quid ſi deus nolit orari? aut ſi oretur, quid ſi nolit audire? Hac ratione docebis nos omnes cœlibatum uouere, & poſtea orare ne ſit impoſſibilis, ac per hoc illud ſtatutũ diuinum naturæ, Creſcite & multiplicamini, coges deum mutato ſuo uerbo, quo creauit omnia, reuocare. Stulta & puerilia ſunt iſta. Experientia ſua cuiq; eſt relicta, ut uideat, an in ipſo præualeat lex illa creſcendi & multiplicandi, uel potius priuilegium eiuſdem legis. Sed iterum dices. Non eſt ſimile de ſanctorum impoſſibilitate & cœlibis impoſſibilitate. Sanctorũ enim uoluntas eſt efficax & plena, prodiretq; in opus, nec obſtaret ullum intrinſecum impedimentum, quod in eorũ ſit poteſtate. Obſtat uero impedimentũ extrinſecum quod non eſt in eorum poteſtate, ſcilicet tyrannis. At cœlibis uoluntas nõ eſt plena neq; efficax, neq; extrinſeco impeditur impedimento, ſed intrinſeco, ſcilicet carne ſua & ſeipſo, qui eſt utiq; in ſua poteſtate. Si enim eſſet plena, impoſſibile eſſet, ut non impleret cœlibatum. Ideo caſus tuus non eſt dabilis, quod ſit cœlebs uoluntate, & non poſſit eſſe & facultate.

Quatenus ſit in poteſtate caro noſtra.

Reſpondeo, Eſt ſane caro noſtra in poteſtate noſtra, ut ei oculos effodiamus, manus, pedes, linguam præcidamus, uel laqueo ſtrangulemus, uel aqua ſuffocemus. Quo modo & tyrannus, ſi nobis infirmior eſſet, in noſtra poteſtate eſſet, quid hæc ad ea quæ hic quærimus & tractamus? Nunquid ideo caſtus eris ſi oculos effoderis tibi? Cæterum quod ad cœlibatum pertinet,

quis ignorat tyrannũ illum domesticum & intrinsecũ in membris nostris, non magis esse in potestate nostra, quã est mala uoluntas externi tyranni? Quin blandis uerbis externum tyrannum mitigare potes, & in tuam sententiam trahere, hunc domesticum nullis studiis, nedum uerbis potes domare. Quid ad Paulum dices Roma. vii. Non erat eius uoluntas plena & efficax, quando dicebat, Quod uolo bonũ non facio, quod nolo malum hoc facio? Cur ergo non facit quod plenissime uelle sese cõfitetur? Vbi est ergo, quod dicebas intrinsecum impedimentũ non obstare, nec impossibile facere, quod plena uoluntas disposuerit? Caro concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem. Hæc sibi inuicem aduersantur, ut non ea quæ uultis faciatis. Sic uolo & mihi donari hũc cœlibem a uoto absolutum, si ex animo mallet cœlebs quã coniunx uiuere, sed impossibile carnis cogit eum externo opere contrarium facere & uotum suũ omittere, ut qui sit morbo insuperabili & tyranno indomabili impeditus. Nonne & deuotarius ille sancti Iacobi, morbo laborans, intrinseco impedimento impeditur? At quanto est furentior morbus & seuior tyrãnus membrorum, quã ullus morbus corporalis. Accipiet & hic deus uoluntatem ubi non inuenit facultatem, dum adhuc in nullum eius præceptum peccatur, neq; uoluntate neq; opere, uoluntate autem & ipsum uotum ultra præceptum impletur, solum opus eius externum omittitur, cogente impotentia insuperabili.

Cognis? de spiritu

At iterum obiicies. Hac ratione uiam facies, ut liceat & diuina mandata externo opere uiolare, modo uoluntas nolit. Igit, qui mallet castus uiuere excusabitur, si scortetur, cum sint mandata dei impossibilia nobis, ut tu ipse docuisti sæpius. Respondeo, Huc debebas dissimilitudinem afferre, quã supra molieba ris inter sanctos impeditos & cœlibem succumbentem. Quãquã enim uerum est, mandata dei impossibilia esse nobis, tamen hoc non est uerum, uelle aliquem caste uiuere & scortari. Cui. n. uoluntas est ad legem dei, huic lex non modo possibilis sed facilis facta est, quod si continere non potest, non urget eum hoc impossibile, contra legẽ dei facere & scortari. Non. n. ideo scor-

Scortari no ꝯ ꝙ ꝯ ꝯ mirmoning

tatur, quia nō possit aliter facere. Est in medio matrimonium, ducat uxorem, & facilis erit ei lex castitatis. Nō sic cœlebs meus, qui quantumlibet pleno animo uellet continere, & legi dei per omnia satisfacere, ducta uxore contentus, mallet etiam uxore carere & cœlebs degere, tamen sui sexus naturam superare nō potest, ut naturaliter socio sexu carere possit, & scortabitur ideo, quia nō potest aliter facere. Non ergo simile est de mandatis & uoto. Est.n. uoluntas, quæ mandata dei reddit possibilia, quæ non satis est, ut uotum fiat possibile. Quod si mandata dei seruet, & uotum seruare non possit, cedere debet uotum ut mandata maneant, ne forte, simul & uotum & mandatū scortando præuaricetur. Reliquū ergo est cœlibi, si impossibilis sit ei cœlibatus, ius nubendi & uotū soluendi, quanquā fatear ubi super abundans est spiritus, qui operetur uoluntatem plenam continendi, ibi & sequi necessario continentiā, ut in sanctis factū esse certi sumus, sed eam uoluntatē optare magis quā prestare possunt cœlibes reliqui, quāquā nō optant ad mādata dei seruāda præuaricatores, sicut S. Paulus Ro. vii. optabat, quod nō poterat totus uelle, imo præuaricatores ex animo nolunt legem dei, cū uoluntas impia nō possit non odisse legem, simulat potius uoluntatē & opera, de quo alias dictū, & nunc extra institutum

Voluntas mādata dei reddit possibilia, uota non item.

Videtur ergo forma uoti apud deū sic habere (nostrum est. Voueo castitatem quā diu possibilis fuerit, si autem seruare nequiero, ut liceat nubere. Sed age cui non facit fidem hæc disputatio de impossibili, cogamus eum ipsa experientia, & ius ex facto probemus. Ecce ego uoui totam Augustini regulam, in qua ille præcipit, ut quocunq; iero, secundus uel tertius eam, hoc est, ne solus eam, hoc uoui usq; ad mortē seruare, ut expresse habet forma uoti. Interim ego capior & solus esse cogor, ubi quæso manet meum uotum? occidi potius debeo quā solus esse, si uotum nō excipit impossibile. At si tenear ne possim occidi, quid faciam? Hic uotū soluitur, aut prius inuoluisse cognoscitur exceptā impossibilitatem. Sic in eadē regula uoueo statutis horis orare, uestibus, cibis, locis uti. At ubi ægrotauero ut nihil horū possim, uotū non tenet. Non autē me excusabit ægritudo, quia

Vide votorū ineptias.

mandatũ dei oportet ſeruari per uitã, per mortem, per omnia. At mandatũ dei eſt, Vouete & reddite. Sic & de omnibus aliis regulæ ſtatutis poſſum exempla afferre. Sicut igitur ſuperius de deuotario S. Iacobi dixi, Si impoſſibilitas in omnibus aliis ſtatutis neceſſario excipitur, quæ eſt ratio, ut in ſola caſtitate non ſit exceptaꝛ ubi & plura pericula & maxima neceſſitas urget, ut ſi in ulla parte regulæ impoſſibilitas locũ habere debet, merito præ cæteris in caſtitate locũ habebit, ſi in caſtitate locũ non habet, multo minus in cæteris locũ habere debebit. Quantũ eſt quæſo periculũ, ſi captiuũ cogas ut ſociũ habeat, aut infirmũ ut oret? imo nullũ hic periculum eſt, cũ fieri non poſſit, qd' cogis. At ſi incontinentem cogas ad continentiã, quantas immundicias? quantas fornicationes? quanta adulteria? & quid non malorũ prouocabis? Nec ualet hic, ſicut & ſupra dixi, q̃ uoluntatẽ ſufficere captiuo & infirmo dicas, tunc.n. nihil differret uouens a nõ uouente? Quis.n. laicorũ, non poſſit uelle ſociũ habere & iuxta formã regulæ orare? Non ſic nugandũ eſt in rebus ad conſcientiã & ſaluté attinentibus. Solide & dextre decernendũ eſt. Certũ eſt in regula opus non uoluntatẽ præſcribi & uoueri, ita certum eſt uotũ ab infirmo & captiuo ſolui neceſſario, quod nõ licebit ſi uotum excludit impoſſibile. Stat ſentẽtia, Vouete & reddite, Non præteribit apex aut iota ab iſta lege niſi omnia fiant. Aut ergo uotum uſq̃ ad impoſſibile ſolum ligat, aut nullos unquã fuiſſe monachos concedes. Nullus enim fuit, qui non aliquando infirmus, aut alia cauſa fuerit impeditus, in aliquã partem ſuæ regulæ, id quod omnino contra uotum ſuum eſt.

Amplius qa pertinaciter obiiciꝛ illa uoluntas uoti, quæ perſeueret ſub impoſſibili externi operis, deponam9 & ipſam. Cõcors eſt ſentẽtia, quã & Bernhardus probat lib. de præcept. & diſpen. oẽs partes regularũ eſſe in manu maioris, q̃ diſpenſare in iis poſſit cũ ſubditis ſuis, nõ modo ſi impoſſibile aut periculũ occurrat, ſed etiã ſi cõgruũ & comodũ uideaꝛ, aliquãdo uero & mero arbitrio p̃ſidẽtis, tenent & nõ tenẽt hæ partes regularũ. Tũ Papæ tribuũt cõſtanter plenã in iis omnib. autoritatẽ tollẽdi, mutãdi, diſpenſandi. Verũ quicqd illa ſedes Satanæ facit ſuſpectum eſt,

De diſpenſationibus.

Abbas non regulas diſpenſat /

Contra grimmia ſequitur Cinnd dicit

Ex raſtirate maxima pericula ſtruing /

nolo autoritatem eius mihi in re conſcientiarum patrocinari, maneamus in geſtis ſanctorum & uulgato receptoq; ab omnibus uſu. In his igitur diſpenſationibus certum eſt & uoluntatem ſeruandi uoti poni, & libertatem ſoluendi concedi. Non enim cogitur inuitus facere qui ſecundum diſpenſationem facit, nec cogitat nedum mallet contrarium facere. Reſpõde igitur, ſi iſta diſpenſatio eſt licita, concludam ego cũ fiducia, Tenorem uoti monaſtici eſſe hunc, Voueo hanc regulam ſeruare ad arbitriũ præſidentis. Si non eſt uero talis eius tenor, iterum definio, omnes monachos, omnia monaſteria eſſe damnata, neq; ullum adhuc inuentum fuiſſe monachum. Nullus enim aliter unquã ſenſit ac tenuit, quã iam dictum eſt. Si autem in cæteris partibus in manu præſidentis eſt, nõ ſolum opus ſed & uoluntatẽ, id eſt, totum uotum ſuo ſubdito ſoluere & liberum facere, etiam ubi nullum impoſſibile aut periculum exigit. Tu dic, ſi potes, cur non poſſit imo non debeat laboranti libidinum procellis & periculis maximis fratri ſuo, & in hac parte ubi caſtitas uouetur, eadem autoritate copiam facere nubendi, & libertatem ſaltẽ operis externi, ſi omnino uoluntatem nollet impartiri? Cur ſolũ caſtitatis uotum Adamantinum eſt, cum cætera omnia ſtupea ſint & ſtipulacea? Nonne & iniquitatis & crudelitatis extremæ arguetur iuſtiſſime monaſtica, & hoc ipſo plane ſuſpecta, tanquã Satanæ ſcena ſit, habebitur, quod in rebus nihili tam clemens, in rebus grauiſſimis tam ſeuera eſt? Quid enim huic peruerſitati dicetur, niſi illud Euangelii, Colantes culicem & glutientes camelum? Et iterum, Decimantes rutã & mentam, & grauiora legis omittentes. Aut illud, Imponunt in humeros hominum onera grauia & importabilia. Quid enim aliud hic iudicabit cõmunis ſenſus, quã ſpirante nequitia Satanæ fieri, ut ſola caſtitas ſit indiſpenſabilis, quo animas irretiat laqueo indiſſolubili, & cætera ſint diſpenſabilia, quo fictã eorũ illudat religionem.

Quid hic igitur reſpõdebunt monaſtici? Aut nulla pars uotorũ diſpenſari poteſt, aut oẽs diſpenſari poſſunt, quia nulla eſt ratio in una parte maior quã in cæteris, niſi qd' in caſtitate plures cauſæ urgent & exigunt diſpenſationem, ubi & pertinacius

eam

eam denegant & recusant quã in aliis. Et hic paululum morare lector, & tecum cogita, ut iniquitatem & crudelitatẽ hanc dispensandi taceam, quã incerta & periculosa sint omnia huius miseri instituti. Si dispensandi iste mos errat & deo displicet, quis audeat intrare uel manere in religione? Quis enim ibi maneat aut hoc uitæ genus uoueat & teneat, in quo uouetur id quod non seruandum esse & uerbo & exemplo proprio docent? Nõne hoc est deum ceu fatuum aliquem irridere? An autem non erret mos iste, quis nos certos faciet? præsertim cum dicat deus, Vouete & reddite? tum supra dictum est, neq; sanctorum neq; multitudinis exemplo nos esse tutos posse, cum peccare & falli potuerint omnes, & hic certus apertusq; sermo dei dicat, Vouete & reddite. Si autem incertum est morem hunc erroneum esse, iterum dico, quis audeat intrare uel manere in religione? & omnia quæ ad errorem intuli, hic etiam inferam. Paris enim impietatis est & id sequi, quod manifesto errorem esse scias, & id pro ueritate amplecti, quod nescias error an ueritas sit. O uere tempora periculosa, de quibus Paulus prædixit. Nunc uero cũ uotũ & institutum suum in hoc uerbum dei, Vouete & reddite, fundent, ego pronuncio, morem istum dispensandi esse impium, & perditionis & operatiõis erroré. Vel eo tandé cogam, ut uota oia prohibita & libera esse euincam, qd' ut plenius & copiosius faciam, uideamus primũ causas leuissimæ suæ dispensationis in aliis partib. regulæ & rigoris crudelis in retinédæ castitatis uoto.

Causantur itaq; castitatem rem esse incomparabilis precii, cui nulla possit inueniri par cõmutatio. Huc illud sapientis afferũt. Non est digna ponderatio continentis animæ. His addunt ampullas illas laudatæ uirginitatis, quarum hæc est ex Hieronymo cæteris insignior. Audacter dico, deus cum possit omnia, tamen uirginem non potest suscitare post ruinam. Cætera uero, cum sint minora, possunt dispensari & cõmutari. O cæcitatem bis cæcam, quæ in re Christiana & diuina iudicat de præceptis secundum opera, & de fide secundum personas, quod nec gentes faciunt in rebus suis humanis, deinde uerbum hominis pro articulo summo fidei arripiunt. Hieronym. dicit, sese audacter

De caussis dispensandi.

dicturũ, nõ posse deum suscitare uirginem post ruinam. Quid ad me, quod tu audacter dicis? Non quã audacter, sed quã uere dicas considerandum mihi est. Neqꝫ.n. in audaciam tuam, sed in ueritatẽ dei credo. Vnde probas, non posse suscitari uirginem post ruinam, etiã a deo? Scilicet hac ampulla rudis lector discit nihil præciosius æstimare uirginitate, hoc est, opus præferre fidei, potest suscitare corruptã uirginitatem fidei in spiritu, & non potest suscitare corruptam carne. Quam uellem hanc uirginitatis laudem, præsertim a tanto uiro, non fuisse unquã proditam, uehementer enim inflat operis opinionem & gloriam. Neqꝫ est uera quã & Hugo de S. Victore confutauit iam antea. Potest em̃ deus & carnem reddere integram, imo suscitare mortuam & de nouo totã immutare, quæ nunquã cognoscat uirum. Sumus.n. eius lutum, ipse fictor noster. Si autẽ intelligit, ideo non posse suscitari, quia nõ potest facere ut corrupta, corrupta non sit, hoc est, factum non potest facere infectum, eadẽ audacia licebit dicere, nullam uirtutem, nullam gratiam semel corruptam suscitari posse a deo. Sed ad rem reuertamur, & nouã impietatem huius monastici instituti uideamus, ut inueniat iniqtas eius ad odiũ. Votũ asserunt omnino iã præceptũ dei esse, dicente scriptura, Vouete & reddite, rationẽ uero implendi non esse petendã ab ipsa præcepti forma, sed a magnitudine, paruitate, precio & uilitate operũ uel rerũ præceptarũ. Sic uirginitatẽ deuotam reddes, quia res magna est, cætera opera regulæ nõ est necesse reddere, sed dispensari possunt, quia res paruæ sunt. Hoc autem quid est aliud dicere, quã castitatẽ reddo, nõ quia præcepto uoti exigit, sed quia magna est? Et hoc quid est nisi dicere, præceptũ uoti, nõ in arbitrio dei sed meo ipsius est, quatenus præceptũ & non præceptũ, quatenus impleri & nõ impleri oporteat? Et in has amaritudines, irritationes, tentatiões, illusiones maiestatis putas deũ non irasci? Saulem illi egregie referũt, qui dñi obedientiã sibi ipsi arrogant interpretandã, reseruatis pinguib. bouibus ad sacrificiũ dei. Hi sunt qui iactant, meliorem esse obedientiam quã uictimã, iactant uerbo præceptum uoti & negant opere.

Dig pr virginiz. fauere ei pg emina

Saulis obedientia.

Regum 15.

Sic mulierẽ uidebis ad concupiscendũ & negabis peccatũ esse, quia res parua est, ad opus cõparata. Rapies proximo palliũ &

dices, non est prohibitũ, quia res parua est. Dicens fratri tuo racha, nõ peccas, quia non occidisti fratré. Et hanc regulã monasticæ Theologiæ duces per oĩa dei præcepta, in rebus & operib. magnis docebis ea esse seruanda, in paruis posse dispensari & tolli. Deinde ut nihil reliquũ facias deo autoritatis, in arbitriũ tuũ uoca ius decernẽdi, quæ parua & quæ magna sunt, sicut hic monastici, autoritate ppria, castitatẽ præferũt cæteris omib. operibus. En tibi monasticã pietatẽ, hoc est, furiosissimã & sacrilegã & blasphemã impietatẽ. Didicerunt hanc insaniã a suo rege & capite Papa, qui in omnib. uotis sibi ius dispensandi arrogat exceptis uotis castitatis, uisitationis Hierusalẽ & S. Iacobi. Ad cuius sententiã iste erit sensus præcepti diuini, Vouete & reddite castitatẽ, uisitationẽ Hierusalem & S. Iacobi, in aliis uero uouete & non reddite. Quare hoc? quia illa tria sunt magna, cætera sunt parua. Ita & monastici, uouete & reddite castitatẽ de regula, reliquũ autẽ regulæ uouete & nõ reddite. O insanias nouissimis iræ diebus dignissimas. Christus dicit Matt. v. Qui soluerit unũ de mãdatis istis minimis & docuerit sic hoĩes, minimus uocabit in regno cœlorũ. Et iterũ, Nõ præteribit iota unũ aut apex unus de lege donec oĩa fiant. At Papa & monastici tollunt non iota aut apicẽ solũ, sed integra uerba & totũ præceptũ dicẽtes, in magnis seruate, in paruis nos soluimus, sed nos execrantes & detestantes abominationes istas abominandas, sic sapiamus.

Qui sint, qui soluunt minima legis.

Castrari oib; pfess

Papa in rebus pare dispensari no pt

Primũ nihil inter opera discernamus, æqualia sunt apud deũ quæ magna & parua sunt apud nos & inter sese, ad mensurã fidei dicit Paulus Ro. xii. oĩa donari. Ille. n. probat, nõ qui plura & maiora fecerit, sed qui maiore fide & charitate fecerit. Castitas cõiugalis Abrahæ & Saræ, multorũ uirginitati præferet. Et Petri Apostoli coniugiũ absq; dubio S. Agathæ uirginitate superior erit, ad fidẽ inquã oĩa exigenda sunt. Nõ. n. qui operatus fuerit sed qui crediderit saluus erit. Gentiũ est secundũ opera iudicare, imo & ipsæ secundũ animũ de operibus iudicant. Christianorũ est secundũ fidẽ iudicare, deinde in faciendis mandatis, prorsus nihil spectandũ est, præter formã præcepti & uoluntatẽ præcipientis, nõ curando, an parua, magna, uilia, præciosa, multa, modica, breuia, lõga, aut cuiuscũq; formæ & nominis sunt opera.

Opera quomodo æqualia.

fides oia mensurat

Non enim opus ſed obedientiam exigit in opere, ſeu ut ſcriptura dicit, Obedientiam non uictimam, bonorũ noſtrorum non indiget. Sic Samuel ad Saulem, Nunquid holocauſta uult dominus & non magis ut obediatur uoci eius? Nunc monaſticos conueniamus, Non poſſunt negare, quin uoueant totam ſuã regulã, nõ ſolam caſtitatẽ, quod & tota regula ſub uerbo uouete comprehenditur, quare neceſſe eſt, ut & tota ſub uerbo, reddite, comprehendatur. Non enim dicit, Vouete totam & reddite partem, ſed, quodcunq; uoueris redde. Si itaq; uotũ ſuũ agnoſcunt pro præcepto, coguntur confiteri, apud deum exigi obedientiam totius regulæ uſq; ad nouiſſimũ apicem indiſpenſabiliter. Nihil hic iuuat laborioſa partitio, qua quidam conati ſunt ſeipſos ſolari, & regulas ſuas in præcepta, conſilia, interpretationes partiri. Stat uox diuina, Vouete & reddite, quæ ſi in hora mortis cœperit conſcientiam pulſare, nihil proderunt ſtipulæ iſtæ humanarum inuentionum. Pauebit enim ad uocem dei, ut uoces hominum non ſentiat.

Partes votorũ & regulæ temere cõficta.

Quid hic facient monaſtici? hic tandem aperient oculos & uidebunt ſtulta & impoſſibilia eſſe ſua uota. Et quem non pœnitebit eſſe monaſticum? Et quis inter eos poterit ſaluus fieri? Neq; enim unum unquã fuiſſe monachum inuenies, qui totam ſuam regulam opere impleuerit. Sed & ipſimet iamdudum hoc ſenſerunt & uiderunt, unde cõmenti ſunt & aliam præcepti diuini eluſionem, tam infœlix contritio & uaſtitas agitat miſerabiles homines in uiis ſuis, poſtquã ſemel a uia regia fidei aberrare ceperunt. Cum enim uidiſſent regulas & ordines tot ſtatutis & præceptis illaqueatos uoueri & nuſquã ſeruari obſtupuerunt, ſi tot damnarentur tanquã uoti uiolatores, ſimul intellexerunt, prorſus ſtultum & impoſſibile eſſe, ſi præſumantur omnia illa uota ſeruari. Ceperunt itaq; rebus ſuis miſeri conſulere, & cahos illud uotorũ partiri in duo, quædã uocari ſubſtantialia, quædã accidentalia. Subſtantialia fecerunt tria, paupertatem, obedientiã, caſtitatem. Reliqua uoluerunt eſſe accidentalia, itaq; ſanxerunt ſolum eos uoti uiolatores eſſe, qui ſubſtantialia ſoluerent. Hæc eſt una omnium ſententia. Sed fruſtra. Humanũ eſt com-

Diſparatio mõſtrorũ

Cõmentũ de votis ſubſtantialibus & votis accidentalibus.

mentum, prorsus inutile ad firmandā conscientiam, imo utile ad seducendam. Quis nos certos faciet hanc partitionem deo placere? an ædificabitis meam conscientiam super uestra somnia? Quid dicam deo, ubi opposuerit præceptum suum, Vouete & reddite, & omnia (sicuti sunt) substantialia esse decreuerit? Dictum est enim, apud ipsum nihil ualere operum differentiam, omnia sunt substantialia, quia omnia sunt sub eodem præcepto æqualiter pacta, æqualiter uota. Nam & uota uos ipsi appellatis, accidentalia ille nescit, sed dicet, Sunt uota? ergo reddes, si autem reddes, substantialia sunt. Ita quocunq; sese uerterint, deprehendent inter angustias, nec poterūt effugere, uerbum & præceptum dei stat in seculum seculi, non patitur sui elusionem aut deprauationem. Igitur offendunt & impingunt hic mutuo, duo illi aduersarii, cōscientia & lex. Eduxit & meus Moses Israelitas suos de castris eorū in occursum dei. Quid reliquū est, nisi ut uideant montem fumantem & terribilem, hoc est, irā de cœlo in terram & a terra in cor cœli pertingentē? Quo ibūt a facie igneæ huius legis? Ipsi dispensant in præceptis dei & opera eius partiuntur & subtrahunt. At præceptum exigit omnia. Si enim uouisses, aut muscam occidere, aut stipulam leuare, indispensabiliter uotum reddere, & non quid uouisses, sed quia uouisses, obedientiam exoluere deberes, præsertim si non pugnet uotum aduersus aliud mandatum dei, quanto magis reddere debes, quicquid in regula præscriptum uouisti. Vides itaq; lector charissime, institutum monasticum per sese aliud nō esse quā Babylonem quandam errorum, ignorantiarum, inobedientiarum, perfidiarum, sacrilegiorum, blasphemiarum, & sentinam nouissimarum impietatum & peccatorum. An dubitas hæc ita esse? Nonne uides? eos non solum non implere sua uota, sed etiā id docere, quo uoueantur & non impleantur, & hoc unum eos agere, ut uouendo non uouisse, & non implendo impleisse uideantur. Quis porcus aut asinus, sic pateretur sese illudi & ludificari, ut ipsi præsumunt deum uiuum & uerum, his insaniis suis illudere & ludificari?

Si voueris est reddendum quia reddendo pe/

Attendendū non quid, sed quia voueris.

Tu nunc uide, an possit ullus in hac fornace Babylonis ser-

uari, nisi uirtute miraculi diuini, qua electi sunt seruati, dum sub uotis & errauerunt humaniter, & tamen purissimo Euangelio dei in spiritu libertatis adheserunt. Sic impletũ est iudicium dei quo cõfundere solet labiũ ædificantium turrim, ut sibi ipsis nomen faciant, dum faciunt & dicunt quæ non conueniunt, quæ nec ipsimet intelligunt, pro sensu suo reprobo, appellantes uotum non uotum, illicitum facientes licitum, præceptum non præceptum, impium pium, sacrilegum sacrum, blasphemum uenerandum, & eiusmodi alia multa. Hæc est illa nox, in qua Christus illuditur, ceditur, conspuitur, ministris pontificiis ei dicentibus, Prophetisa nobis Christe, quis est, qui te percussit? Forte aliqui non credent hæc esse monstra monastici instituti, quod sint nimio horrenda, quos ire sino, & abundare suo sensu, neq; eis hoc scripto seruio, illis solis seruio, qui animas suas saluas uolunt, quibus arbitror satisfactum per prædicta, ut credant uera esse quæ dico. Verum est enim mandatum dei, Vouete & reddite, quod non fallet quenquã, nisi eum qui non crediderit esse aut mandatum aut uerum. Similiter uerũ est, quod irrefragabilis usus & experientia monstrant, uoueri ab eis, quæ non solum non reddunt, sed docent quoq; non reddi oportere. Neq; enim mendacia certius cognoscas quã suo ipsius diffidio & contradictione. Siquidem diuinitus ordinatum est, ut semper impietas seipsam confundat, & mendacia sibi ipsis nunquã constent, quin aduersus seipsa semper testificentur. Quid igitur (inquis) faciam ut saluer ab hac Zeor, in quam fugi, ut Zodomam effugerem? Quid facies? An adhuc disputandum censes, ut ad montem libertatis matures cursum? postquam audieris te uouisse hoc uitæ institutum, quod non solum uerbo dei, Euangelio, fidei, libertati Christianæ, præceptisq; dei aduersatur, sed & sibi ipsi turpissime pugnat & diffidet? Sine, regnum hoc desoletur, ubi in seipsum diuisum est, putas apud deum exigi hoc uotum, quod in rem tam abominandam, ipso prohibente & inuito uoueris? Qui enim noluit te uouere, nõ uolet etiam uotum seruari, sed quantocius omitti & aboleri.

Christum conspui.

Sed cum ipsis monasticis expostulo & quæstionem repeto. Dicant igitur, Cur dispensent in reliquis partibus uoti, & in sola castitate non dispensant? aut cur doceant cætera omnia esse accidentalia, & solum ista tria esse substantialia oporteat? dicant, qua autoritate uotum est præceptum in aliquibus, & non in omnibus? plane obstructum est os loquentium iniqua, & coactum concedere, si una pars uoti potest omitti aut dispensari, totum posse omitti & dispensari, aut si totum omitti uel dispensari non potest, nulla eius pars omitti & dispensari potest. Proinde si præsidens indulgere potest fratri, ut carnes edat, uinum bibat, orationem intermittat, uestem ponat, contra quam regula uoti dictat, potest etiam indulgere ut res habeat, liber eat & uxorem ducat, maxime si opus illi fuerit. Sic inquam ego respondere illos cogo. Non tamen hoc assertum uolo, quia ipsi sic respondent uel respondere coguntur, quos propter monstra suæ impietatis nullius fidei & autoritatis esse oportet. Quid enim si errent & respondendo, qui nihil nisi error sunt uouendo & uiuendo? firmiore & tutiore autoritate conscientiæ muniendæ sunt, nempe diuina & ea sola. Petrus enim dicit, Si quis loquitur, quasi sermones dei loqui debeat, hoc est, ut certus sit, esse uerbum dei quod loquitur. Quod & Paulus Timotheo commendat dicens, Permane in his quæ didicisti, sciens a quo didiceris. Non autem didicerat nisi uerbum dei, ideo in solo uerbo dei permanendum est. Hoc solum nunc ago, ut eos contra communem sensum & contra seipsos insanire demonstrem, & concludam, per autoritatem ipsorummet, impossibilem castitatem esse liberam, & uotum eius esse conditionale & temporale ex natura sua, cum hoc concessisse eos probarim in aliis uoti partibus, nec superesse rationem, cur non in omnibus fieri debeat, quando & causæ uehementiores urgent, pro libertate castitatis, quã pro ulla parte, quam ipsi liberant. Mera ergo arbitrii sui libido est, alia substantialia alia accidentalia facere, & cæteris liberis, solam castitatem indispensabiliter ligare, in perniciem & laqueum animarum.

Sola diuina autoritate muniendæ cõscientiæ.

Cæterum conſcientiæ noſtræ muniantur eo, quod euidentibus certiſq; ſcripturæ teſtimoniis probauimus. Votum monaſticum ex natura ſua aduerſari uerbis dei, Euangelio, fidei, libertati Chriſtianæ, præceptis diuinis, ut cõmunem ſenſum & ipſiusmet contradictionem taceam. Ex natura ſua dico, quod nõ negem, ſanctos uiros hac peruerſitate fœliciter uſos & miraculo diuino ſeruatos, ſicut mortem, crucem, mala mundi, natura ſua aduerſus fidem pugnare dico, quibus tamen Chriſtus & ſui bene uſi, glorificati ſunt. At nemo uouet exemplum ſanctorũ, qui malo bene ſunt uſi, ſed ipſum malum uouent omnes. Neq; enim ullus uouet, eo ſpiritu ſe uicturum, quo uixit Bernhardus. Hoc enim neceſſarium eſt, nec ſub uotum cadere poteſt, & ab initio & uotum & ceptum eſt in baptiſmo, ſed legem factorum ſeu opera legis, iuſtitias carnis, easq; non niſi humanitus inuentas & ſtatutas uouent, quas deus in nouo teſtamẽto prohibuit, ut probauimus, quæ & natura ſua ad interitum perducunt ſpecie & ratione ſapientiæ ſuæ. Proinde, quanquã ſanctos uideam in eadem ſententia fuiſſe, ut uota partirentur in ſubſtantialia & accidentalia, tum ipſimet & diſpenſauerint & diſpenſationem acceperint in multis partibus regularum, tamen quia incertum eſt an hoc fecerint, deo approbante eorum facta, uel ignoſcente eorum errori, non ſatis tutum nec fidele patrocinium eſt pro conſcienciis, ex eorum exemplo aut facto quicquã aſſerere. Obſtat enim ne hoc ullus audeat qui prædixit, etiam electos in errorem ducendos eſſe. Alioqui ſi factum eorum deo probatum argueret eorum ſanctitas, plane demonſtratum haberemus, & ipſis factis ſanctorum, hoc eſt, operibus dei teſtificantibus, uota omnia eſſe libera, uouendiq; formam eſſe apud deum non aliã quã iſtam, Voueo regulam temporaliter ad arbitrium præſidentis. Et monaſteria ad priſcum ritum deo nihil aliud haberi, quã Chriſtianas ſcholas pro ætate iuuenili & ardente, inſtituenda in fide & pia diſciplina, uſq; ad annos maturioris ætatis. Nũc cum autoritas ſanctitatis exemplum non ſatis firmet, alia autoritate roborandum eſt, ſcilicet diuina. Sanctorum enim factum ideo placuit deo, quia inſtitutũ monaſtici uoti diſplicuit, ideo

Infirma exempla ſanctorũ.

monaſteria ſcholæ fuerẽt

& paſſus

& passus est & uoluit sanctos suos aduersus ipsum dispensare & agere, pro fideli admonitione omniũ, ne fallaci specie deuoti huius instituti abducerentur a regia uia Euangelii. Neqꝫ.n. Bernhardus peccauit, neqꝫ uotum suum per omnia seruauit, quãdo in causis Papalibus, relicto monasterio, perambulabat terras, quod deus uoluit, ne institutum uotorum apud sese ratum habere crederetur. Non aliter atqꝫ Christus permisit discipulos illotis manibus manducare aduersus traditiones seniorum. Sũma, Exempla & facta sanctorũ ex uerbis dei metimur, aduersus quæ satis probatum est, ut pugnent uota monastica, illi metiuntur uerba dei ex factis & dictis sanctorum, quoties optime metiuntur, adhuc tamen nolunt errasse uideri.

Bernardus fuit in causis papalibus.

VLTIMO. Vltimum in eos impetum faciamus & fingamus luctandi gratia, Esse tria illa uota substantialia, uota apud deũ rata & indispensabilia. Quid si probauero, duo ex eis esse libera, etiam apud uosipsos, nonne dabitis & tertium liberum esse debere? scilicet castitatis? Tentemus itaqꝫ aliquid, quãquã & statim a principio nonnihil de eis dixerimus. Primo paupertatem uideamus, quæ duplex est. Spiritualis, de qua Matt. v. Christus, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hæc uoueri non potest, cum sit cõmunis omnibus Christianis, ea est spiritu libero in rebus uersari, eis uti & dominari, non seruire, non apponere cor, non confidere & gloriari in diuiciis, & non esse uiros diuitiarum. Verum monastici hic nõ simpliciter peccant, primo, quod consilium ex ea faciunt, deinde quod sibi eam solis arrogant & uoueri a se iactant. Nõ esse autẽ consilium id probat, quod Christus beatos appellat, utiqꝫ uolens damnatos qui non sint pauperes. Nam beatitudinem solet iis qui necessaria seruant tribuere, ut dum mulierem castigãs dixit, Quin beati qui audiunt uerbum dei & custodiunt illud. Et, Beatus es Simon bar Iona. Et, Beati estis si feceritis ea. Item, quod ipsorum est regnũ cœlorum. Vtiqꝫ seruitutem inferni uolens repositam esse iis qui nõ sunt pauperes. Dum ergo hanc uouent monastici dupliciter peccant, Primo impia opinione accedunt, credentes consiliũ quod præceptum est, ac per hoc, inter

Ex facto probat et substantialia uota libera esse.

pauperes duplex.

Monastici pauperes spiritu facere, et pri[illegible] esse uiros.

De paupertate.

uouendum soluũt præceptum diuinũ, negantes ipsum esse præceptum. Secundo quod simulant sese uouere aliud quã in baptismo uouerunt, qua hypocrisi reuocant aut contemnunt uotũ baptismi, ut quod parũ aut nihil sit, huic uoto comparatum. At hoc est blasphemare baptismũ, qui est omnia in omnibus Christianis. Si ergo uotum non debet esse impium, sacrilegum & blasphemũ coram deo, oportet ut hanc pauperratem nõ uoueant. Altera est corporalis, ea esse potest triplex, liceat ita nugari cum nugacibus. Vel quod nulla re utaris, quæ est impossibilis, Oportet enim uictu & amictu utentes uitam hanc conseruare. Vel quod nullas res administres aut cures. Hæc est infantiũ puerorum, infirmorum, fatuorum, & similiũ qui sub iugo aut manu alterius sunt. Vel quod nihil proprii possideas, administres autem cõmunia. Et has duas uoueri necesse est, si paupertas uouetur a monasticis, & præsertim secundam. Cæterum, paupertas corporalis proprie est penuria in uictu & amictu, quæ alienis indiget subsidiis, non potens se propriis iuuare.

Tu nunc uide ludicra ista Satanæ. Lucas in Actis laudat Apostolorum factum, quod cõmunia habuerint & per hoc abundauerint, non appellans paupertatem aut pauperes, imo (inquit) non erat quisquã egens inter illos. Prorsus nec est nec dici debet paupertas, ubi sodales aliqui sua in cõmune conferunt & de cõmuni uiuunt, sed omnium plenissima abundantia. Hæc enim erat gloria primitiuæ Ecclesiæ, referente Luca, quod cum spirituali & Euangelica paupertate omnes pollerent, tamen temporalibus abundabant, pro cuiusq; necessitate. Postea uero consumptis substanciis & præualente fame, ceperunt egere & in temporalibus, tunc & corpore pauperes facti sunt, ita ut Paulus & Barnabas ubiq; pro eis colligerent collationes fidelium. At hanc paupertatem non instituerunt Apostoli, quando cõmunia habebant omnia, sed eam passi sunt, deficientibus communibus. Nostri igitur religiosi, neq; spiritualem neq; corporalem uouẽt paupertatẽ, sed cõmunem illam abundantiam, qua eis abũde administratur, quam sicut dixi, uiolenter potes dicere puerorũ & fatuorum paupertatem, cum nihil minus sit quã paupertas.

Neq; enim ut egeant, sed ut abundent intrant religiones, commoti, quod in monasteriis sciunt promptuaria plena eructantia de genere in genus. Nam ubi paupertas regnat in monasteriis, aut non illic intrant aut intrasse pœnitet. Est ne igitur hæc insignis illusio dei & hominum? prætendere uotum paupertatis, & tamen eo ipso quærere securam & ociosam copiam ac saturitatem, aliena manu & partam & ministratam, ubi nihil minus est, quã egere aut pauperem esse. An ignorare nos uolunt, quid sit aut significet paupertas? An & uocabulis suas significationes euiscerant? Omniũ sensu, omniũ usu, omniũ loquela, paupertas corporalis significat penuriam & egestatem in uictu & amictu. Quis unquã audiuit paupertatem dici, nihil proprium possidere, & de cõmuni abundare? O illusores & deceptores, qui fictis uerbis in auaritia populos cauponamini, ut Petrus prædixit. Igitur etiam in corporalem paupertatem mentiũtur uouentes monasticen, ut & impii sint in spiritualem & mendaces in corporalem paupertatem. Et hoc fictitium & mendax uotũ tu arbitraberis esse gratum deo? certe sanctos oportet in hoc uoto aliud spectasse. Natura uoti est sicut diximus, mendax, impia, sacrilega & blasphema.

Sed amplius finge, hæc impia uota, esse pia & grata, & appelletur hoc paupertas, quod abundantia securissima est. Quid dicent de iis, qui ex monasteriis sumpti sunt in Papatũ, Cardinalatũ, Episcopatũ, & alias dioceses rerũ, ubi certe in res proprias e uoto sunt translati. Neq; hic dicere potes, nisi iterũ fictis uerbis ludere uoles, Papam, Episcopos, Cardinales, & similes, nõ possidere res proprias, cum eis pro libero arbitrio utantur. Esto, monachorum præpositi curent res non proprias, at illi certe curant proprias, quanquã de Ecclesia acceptas, ut nihil sit, quod dicis, non suas sed Ecclesiæ esse eas res, quod & ipsum fictis uerbis dicitur. Dat enim eis Papa eas res tanquã dominus earum, imo Papa utrarunq; rerum se dominũ facit, & in eum locum etiã sancti uiri aliquando sunt translati, ut Anastasius Bernhardi discipulus. Vbi manet hic uotum paupertatis monasticæ? Prorsus Episcopatus, Cardinalatus, Papatus statum damnabis,

aut negabis posse monasticum uirum illuc ascendere. Hic dicũt, eiusmodi cedere obedientiæ & ingredi statum perfectionis. Pulchre mentiris in caput tuum, cur antea dicebas, monasticen esse statũ perfectionis? Rogo quot habes status perfectionis? Episcopus si posita infula intret monasterium (ut factum est aliquando) intrat statum perfectionis de statu imperfectionis. Rursus monachus deserto monasterio factus Episcopus, intrat statum perfectionis. Hic uides, ut status sese mutuo perficiunt & imperficiunt, hoc est, ut mendacia in seipsa irruunt & mutuo mordẽt atq; consumunt. Quid speras hos audaces & insanos tandẽ dicturos, nisi forte & statum perfectionis facient, si intraueris in lupanar, de thoro coniugali? Proh Christe, nihil est in hoc sacrilego uitæ genere, nisi confusissima mendacia.

Porro si propter obedientiam & statum perfectionis soluitur uotum paupertatis, cur non & uotum castitatis? Vbi sunt nũc uota illa substantialia? Est paupertas nunc accidentale uotum? sic agitari debent & circumferri uentis mendaciorum, qui relicta solida petra, sibi ipsis nouas uias, proprios ducatus, singulares paradisos præsumpserunt. Dimisi (inquit) eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Et Petrus, Venient in nouissimis diebus, in deceptione illusores, secundũ propria desideria ambulantes. Quid autem ad hoc dicent? uotum nonne est diuinum præceptum? præsertim si sit (ut dicitis) substantiale. At e præcepto diuino, ne angelorum quidem, nedum Papæ aut ullius hominis autoritate transeundum est. Stat enim sententia, Obedire oportet deo magis quam hominibus, alioqui eadem ratione licebit furari, occidere, mechari, parentibus rebellare. breuiter, deum cum præceptis suis negare, autoritate & obedientia humana. Si unum præceptum licet transire omnia licebit transire. Ex quibus conficitur, ut aut impossibile sit, uotum eiusmodi esse diuinum præceptum, aut necessarium sit, omnes esse uoti reos & damnatos, qui e monachis facti sunt pontifices. Non hic nugandum est & garriendum q̃ maneant in paupertate. Seria res agitur, quando de conscientiarum re disputatur, solide docere oportet. Scimus monachũ & Papam

nulla proportione conuenire quod ad uotum paupertatis attinet. Ille uouit in monasterio pauper uiuere, hoc tenetur implere tota uita, quia uotum est præceptum dei. Nec prodest quod statum perfectionis afferunt, non solum ob mendacium supradictum, quo sibi ipsis contradicunt, sed etiam ob aliud mendacium, quod status perfectionis esse non possit extra & contra mandatum dei, sed potius damnabilis status est. Non.n. ullum præceptum dei pugnat perfectioni, imo perfectio solum consistit in dei præceptis. Ille enim perfectus est, qui omnia mandata dei seruat. Quæ est ergo impudens ista impudentia, asserere uotum esse præceptum dei & statum perfectionis? Rursus asserere ipsum esse soluendum & statum perfectionis relinquendũ propter statum perfectionis? Vides lector, ut magnitudine & multitudine mendaciorum obruar, ut uerbis ea non possim consequi. Sylua, mare, arena mendaciorum est monastice ista inclyta. Quã insigne quæso & hoc mendacium est, quod pontificatum appellant statum perfectionis, quod solius fidei & charitatis est, cum sit potius status pompæ, luxus, opulentiæ, aut ad summum superstitionis & hypocrisis, si quando omnia in eo optime habent. Et propter hoc mendacium docent soluendum uotum, quod uolunt esse diuinum præceptum.

Euanuit ergo nobis misera & male substans substãtia substantialis huius uoti paupertatis monasticæ. Inuentum est, nec paupertatem esse dicendam, tum nec ab ipsis uotum substantiale aut præceptum censeri, qui docent substantiale uotum & præceptum esse. Cur ergo miserabilis illa castitas, præ paupertate, tam rigidam habet substantiam in suo uoto? Nonne concedetis, aut castitatem esse accidentalem, aut uos in paupertatis uoto infinitis modis insanire & perire tam docendo quã seruando? Concludam ergo, quando ad Episcopatum potest æqualiter & religiosus & laicus accedere, aut religionis uotum nihil est, aut religiosus Episcopus damnatus est. Nã in eundem locum ascendit, in quem is, qui nullis uotis astrictus est ascendit, quod esset impossibile, si uota distinguerent religiosum a seculari. Neq.n. Episcopus uota religionis uouet aut uouere tenetur, sed nec ul-

lus uouere uellet, tanquã rigidiora & perfectiora. Et ut in summa dicam, Votũ paupertatis uidetur a Satana in hoc effictum, ut religiosi prætextu eius liberi fiant, a iuuanda paupertate aliorum, & ab impendẽdis operibus misericordiæ & charitatis, qd & supra tetigimus. Tenet enim eos clausos, ut nulli seruiant, deinde ociosos ab operibus manuũ, ut tantũ sibi sinant ab aliis seruiri, & hac occasione auertat uulgus a iuuandis uere pauperibus coniugibus, uiduis, orphanis, peregrinis, ad profundendã substantiã in hos ficte pauperes, uere autẽ opulentos pingues, ociosos & securos hypocritas.

Gaskon peregrinant non pauperes

De obediẽtia.

Videamus an obedientiæ substantia melius subsistat quã paupertatis. Supra diximus & obedientiã esse duplicem. Euangelicã qua omnes inuicem subiicimur, quã in baptismo uouimus, nec denuo, nisi simulando & illudendo uoueri potest. Alia est corporalis, quæ quid sit, si non aduersaria prioris est, ignoro. Potest tamen dici, quod sit uxorũ, filiorum, seruorũ & captiuorũ & omniũ qui necessitate aliqua subiiciuntur alteri. Nam Euangelica est libera & spontanea erga eum, qui nullo iure nobis superior est, nisi quod deus ita uoluit, ut subderemur iis, quibus nõ debemus ullo iure. Peccant & hic eadem insania monastici, qua & in paupertatẽ. Primo q̃ consiliũ eam faciũt, deinde solis sibi arrogant, ideo dũ eam uouent & impie negant mandatum dei, & sacrilege damnant uotũ baptismi sui, simulantes aliud & maius sese uouere, quã in baptismo uouerant. Si uero aliqui pie uouent, certe non nisi corporalem uouent. At nisi spiritus in eis sit & tandem aliis quoq̃ subdat, nihil uouet, nisi contrariũ Euãgelicæ obedientiæ, sicut & supra diximus. Professor obedientiæ uouet obedientiã uni maiori, nec uniuersaliter sed iuxta regulã præscriptam, quo facit, ne possit Euangelice obedire. Siquidẽ prohibetur, tum æqualibus, tum inferioribus, tum aliis maioribus & omnibus aliis obedire, cedere & morem gerere. Euangelica enim etiam aduersario iubet beneuolum esse, & per omnia & semper cedere. Esto, quod uoluntas Euangelicæ obedientiæ in eis maneat, quod nõ nego, sicut & paupertatis Euangelicæ uoluntas manere potest, ut in sanctis factũ esse nõ dubito, tamẽ

Vouet obedire superiori tm

ipsum institutum, ipsa ratio professionis pugnat cum Euangelio. Non enim (ut antea dixi) de exemplo & spiritu sanctorum quē oportet & coniuges habere, sed de lege & ratione uoti ego disputo, quā non licet statuere, neq; docere, neq; uouere, cū sit Euangelio cōtraria. Non enim sinit te uotum omnibus subiici, Euangelium uero uult te omnibus subiici, quæ duo pugnant ex diametro, quantumlibet spiritus Euangelicus in quibusdam sub contrariis Euangelio uotis manet.

Multo sanctior & perfectior est obedientia coniugis, filiorum seruorū, captiuorū, & similiū, quā monachorū, quanquā & ipsi corporalē non possint omnibus prestare externa facultate, cum sint alligati & alterius iuris. Et superius diximus libertatē Euangelicā talem esse, quæ nulli aufert suū ius aut rem, tamen ultra uoluntatē promptā omnibus seruiendi & obediendi, obediūt suis maioribus simpliciter & sine præscripta regula in omnibus. Monachi uero suis tantū maioribus, iisq; non simpliciter, sed ad certam mensuram regulæ præscriptæ, ut & Bernhardus docet, in qua re & a priscis illis monachis & Eremitis longe lateq; discrepant. Deinde in hanc angustam & frustillatam obedientiam, non casu aut necessitate (quod in coniuge, filiis, seruis, captiuis, & similibus contingit) sed sua sponte ueniunt, ut plane sub cœlo non sit uilior & parcior obedientia, & quæ Euangelio magis aduersetur quā monasticorum.

Ad hæc est & alia fœlicitas obedientiæ, filialis, coniugalis, seruilis & ciuilis, quod longe abest ab impietate & sacrilegio. Nemo enim ea obedientia arbitrat sese obsequiū singulare præ cæteris & ultra Euangeliū prestare deo. Nemo eam consiliū uocat. At nisi hæc impia & sacrilega opinio sit in obedientia monastica, neq; doceri neq; uoueri neq; teneri potest. Singulares. n. ultra Euāgeliū præ cæteris esse uolunt monastici sua obedientia, et soli esse spōsæ et uxores maiestatis diuinæ, faciētes ex ea Baal, id est, maritū qui sit illorū proprius, et ipsi eius pprii, una caro, unus spiritus cū eo, cæteros uero arbitrant ceu seruos et mercenarios et cōcubinas in domo. Qua tamē opinione sanctos nō fuisse infectos certū est. Spiritu enim humilitatis possessi, nemini sese prætulerūt.

Obedientia et paupertas monastica, vocabula ficta,

Ita uides, non minus obedientiam quã paupertatem monasticam esse uocabula noua & efficta, ultra & præter usum omniũ linguarum, cui figmento addunt & impietatem & sacrilegium. Vocant enim obedientiam, quæ uerius tam spiritualiter quam corporaliter est inobedientia ad Euangelium comparata, sicut uocant paupertatem quæ est uerius abundantia. Deinde uouẽt fictam eandem obedientiam opinione impia, qua eam Euangelica & uera perfectiorem & maiorem æstimant, in quo sacrilege blasphemant & baptismi & Euangelii obedientiam. Igitur melior & perfectior est obediẽtia filii coniugis serui captiui, quã monachi obedientia, etiam ea quando est optima, id est, sine impietate & sacrilegio, qualis in sanctis fuit, ubi uero impia & sacrilega est, non est comparanda stupris & homicidiis nedum bonæ obedientiæ.

Proinde ego ausim pronunciare cum fiducia, Nisi monastica obedientia uoueatur & seruetur temporaliter tanquã rudimentum ad Christianam & Euangelicam obedientiam, ut iuuenilis ætas in ea exercitata discat sic omnibus in omnibus cedere, sicut per uotum cedit suo maiori in monasterio, in aliquibus quemadmodum in uitis patrum quædam etiam probant exempla, esse plane impiam & mox deserendam. Sic & puerorum paupertas est, ne res administrent, quo discãt frugales esse, qui propter ætatem prodigi & dissoluti fierẽt, si statim in manu eorũ res traderentur. Quæ est enim dementia uniuersalem obedientiam uniuersaliter prestandam contemnere, ut particularem particulariter seruandam extollas? An monastica nos docebit melius esse, paucis pauca bona facere quã multis multa bona facere? Igitur si ab imperfecto ad perfectum eundum est ab obedientia monastica ad obedientiam parentum, dominorum, mariti, tyrannorum, aduersariorũ, & omnium, eundum est. Atq; ut ipsi uotum obedientiæ ferme maximũ & summũ in religionibus faciunt, ita nos contra uidemus esse infimum & minimum, etiã tum cum pium & rectum fuerit, hoc est, dum pro rudimento Euangelicæ obedientiæ uouetur. Nam ubi pro perfectione uouetur neq; infimũ neq; minimũ, sed peruersitas & sacrilegiũ est.

Ita fit,

Ita fit, ut ſicut de paupertate diximus, nuſquã minus eſſe paupertatis, quã ubi iactatur, ita nuſquã minus obedientia eſt, quã ubi iactatur & impletur hic uerbum Pauli, habentes ſpeciem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes. Quare obedientia monaſtica aut pro temporali rudimento habenda eſt, aut mox deferenda & redeundum uel ad legalem parentum & dominorũ, uel ad Euangelicam omniũ obedientiam nihil morando, ſi ſexcentis uotis firmata eſſet, quod uotum hoc aduerſus Euangelium ſit & a deo non poſſit probari nec exigi.

Hæc dicta ſint de obedientia ſecundum ueritatem, ſed nunc dicamus de eadem ſecundum mendacia monaſtica, ut uideamus quã nullum mendacium ſit ſolum & ſimplex. Aiunt, obedientiæ uotum eſſe ſubſtantiale, & iam diuinum præceptum. Hic repeto ea quæ ſuper uoto paupertatis intuli. Quid dicent de Epiſcopis e monaſteriis aſſumptis? ubi manet eorum ſubſtantiale uotum? Dicent & hic, eos migrare in perfectionis ſtatum & cedere obedientiæ. Reduco & ego quæ ſupra oppoſui, ſcilicet Epiſcopũ non licere monachũ fieri, nec ad ſtatum perfectionis eiuſmodi migrare, atq; etiã hic ſtatus perfectionis ſibi pugnare, inuicẽ ſibi perfectionẽ & imperfectionẽ tribuere & adimere, ita ſuauiſſimi homines ſtatus perfectiõis nõ ex fide & charitate, nõ deniq; ab ipſa externa hypocriſi operũ ſuorũ, ſed ab arbitrio migrandi metiũtur. Si.n. Epiſcopus fiat monachus ad ſtatũ perfectionis aſcendit. Quia ſic placitũ eſt uocare ſtatum perfectionis. Rurſus monachus fit Epiſcopus, & ad ſtatũ perfectionis aſcẽdit. Quocunq; migraris, ſi illorũ calculũ habueris, ad ſtatũ perfectionis migraſti. Iã & ſecularis (ut uocant) perfectior eſt ſine uotis, quã monaſticus, cũ poſſit Epiſcopus fieri ſine uotis, quo uenire non poteſt monachus, niſi ultra ſua uota aſcendat ad ſtatũ perfectionis, igitur uel pares ſunt uel inferiores ſecularibus monaſtici ſuo ſtatu. Stulta & puerilia ſunt hæc, & tamen cogit ipſa rerum demonſtratio, hanc eorum ſententiam intelligi. Illud ſeriũ eſt, Si uotum eſt præceptum, nulli monacho licet fieri Epiſcopum, cuiuſcunq; obedientiæ prætextu, cũ præceptum dei nulla autoritate liceat relinquere, nec ullius quantũlibet magni boni

intuitu mutare. Vult enim ut obediatur uoci eius. Insuper hoc in obedientiæ uoto singulare est, ꝙ egrediens ab obedientia monastica intrat ad obedientiã illã cõmunem omnibus. Nã ut Episcopus Papæ ita quilibet Christianus obedire tenet, ut ipsi docẽt, cũ tamen ideo uouerit monasticã, ut maiorẽ et perfectiorẽ, hac cõmuni, obedientiam impleret. Quom ergo cedit obedientiæ uiliori & relinquit perfectiorẽ, æqualis fit cuilibet uulgariter obedienti, qui prius uouerat perfectã ultra uulgarẽ? Nõne uoti trãsgressor est? nõne ad seculũ rediit et iugum obedientiæ excussit? Quid hic dicent? certe aut tẽporale rudimentũ esse sinent uotũ obedientiæ, aut omẽs dãnabũt uoti reos, qui e monasteriis fiunt Episcopi, at tales aliquot sanctos habent, ut Bonauenturã &c.

Quantũ uero est mendaciũ & sacrilegiũ dicere, hoc esse migrare in statũ perfectionis, si uotum substantiale & præceptum dei soluatur & relinquatur, quasi mandatum dei perfectioni repugnet, aut extra mandatũ dei ullum initiũ salutis nedum perfectio esse possit. Si ergo monachus perfectus esse uolet, in suo uoto manebit, & præceptũ diuinũ seruabit, quanquã (ut dixi) omnia sunt ficta. Episcoporũ.n. status est, uerbũ dei prædicare, qui status non est, in quẽ ascendunt religiosi, cũ nemo melius possit uerbũ dei dicere quã monachi, sicut fecit S. Bernhardus & similes. Proinde migrãs monachus ad episcopatũ, quales nũc sunt Episcopatus a plusquã quadringẽtis annis, migrat potius a uero statu Episcoporũ ad statũ idolorum & laruarum Episcopatium. Et ut mendacia & figmenta finiam. Inter omnia uota monastica nullũ est minus substantiale, quã obedientiæ uotũ, nullũq; irrefragabilius conuincit, esse monasticũ institutũ, merũ rudimentũ iuuentutis Christianæ, ad priscũ patrũ morem temporaliter obseruandũ, pro discenda fide & disciplina Euangelica. Hoc probo sic, Impossibile est ut monasteria nõ habeãt præpositos suos, qui præsint, regant & pascant monachos? Est ne hoc uerum? Quæ.n. confusio foret, sine pastore congregatio? Sit ergo hoc uerũ. Impossibile etiã est, ut hæc præpositura deo non placeat, quia ordinata potestas a deo est, Ro. xiii. At præpositũ esse & obedire seu subdi simul, æque impossibile est.

Status Episcoporum.

plari nõ obedimus

Loquor autē de corporali obedientia seu subiectione, quæ & sola uouetur, ut diximus, sed & regula dicit, Præposito obediendum, & disciplinā in manu eius esse. Et Apostoli uerbū huc trahunt, Obedite præpositis uestris & subiacete eis. Nō.n.uel congregationi uel subdito præpositus esse potest subiectus corporaliter. Sequit ergo, omnē præpositū esse apud deū absolutū a uoto obedientiæ, quā diu præpositus est. Esse autē potest semper & ipse & quilibet alius, ergo uel nullus perpetuo & necessario uoto obedientiæ est obstrictus etiā corā deo, uel nullus potest in monasteriis esse præpositus. Præpositus.n.nō obedit sed ei obedit, & obediendū dictat regula & tenor professionis seu uoti.

Hic mihi ne tantillū quidē negocii facient, qui dicunt præpositū suis quoq; maioribus subdi, & secundū regulam imperare. Scio, sed quid hæc ad uotū obedientiæ, quod iā diuinū præceptū esse dixisti, qd nec licet mutare? Nō licet præceptū dei relinquere, propter aliud præceptū dei, multo minus propter hominē, alia res est præsidere & maioribus aliis obedire. Nā hæc obedientia tandē in Papā redundabit, qui nulli obedit. Nemo uouet præsidere aut Papæ ac maiorib. præposito obedire, sed præposito ipsi in monasterio uouet obedientiā, obedientiā inquā, & corporalē subiectionē uouit, quæ esse nō potest idē cū præsidentia, noli ludere uerbis. Quod autē incomodū, si purus laicus secundū regulā imperet monachis, ipse tamē nulli obediēs & nihil uouens? At quid ab eo differt uotiuus præpositus? Igit stat conclusio. Obedientiā monasticā esse rudem & puerilē obedientiā pro rudimēto duntaxat iuuētutis institutā, nec aliter apud deū acceptā, nec aliter uoueri possibilē, nisi impiā & sacrilegā facere uoles. Quare cū Euangelica forma uiuendi sit perfectior, ad ipsam tandē post illā est redeundū tanquā a parte ad totū. Cū.n. uenerit qd perfectū est, euacuandū est qd ex parte est, & quādo tempus est ut uiri simus, euacuanda est pueritia. Omnia ergo uota sunt tēporalia & mutabilia. Superest sola & una castitas, quæ cur non sit temporalis, quis poterit ostendere? cum oporteat eam præ cæteris omnibus esse temporalissimam? Hæc proh dolor non est ficta sed uera, licet impia & sacrilega ex natura sua.

Non enim fingit uotum eorum castitatem, sicut fingit obedientiam & paupertatem nouis uocabulis, sed ipsam ueram omnium linguis significatam comprehendit. Quanquã in seruãdo eo uoto nihil æque est fictũ, nec uspiam minus castitatis quã in iis qui uouerunt castitatem, polluta sunt ferme omnia uel inmũdis fluxibus uel perpetua ustione & flamma inquieta libidinis, atq; optabile erat, ut si quid fictũ in monasteriis uoueri debuit, ficta castitas uoueretur. Hæc enim salutaris fictio erat. Et quis det ut adhuc fictæ paupertatis & obedientiæ uotum permutetur cũ ficta castitate? ut sicut modo sub paupertate seruatur abundantia, sub obedientia seruatur inobedientia, ita uersa uice sub castitate seruaretur thorus coniugii, & ad ueram paupertatem & obedientiam utriq; cogerentur. Toleráda hæc fictio & beata permutatio foret, sed defuit Satanæ species in uoto castitatis, cum sit nimis manifesta differentia inter castitatem & coniugium, ideo non faciebat hoc ad operationem erroris sui. At paupertas pulchre simulabatur, non habendo proprium, obedientia speciosa erat aliqua parte sui. Nihil enim similius Euangelicæ & uniuersali obedientiæ, quã monastica & particularis obedientia. Caro enim digiti similis est carni totius corporis. Hic ergo patebat locus magnus operationibus suis, ut pro paupertate opulentiã, pro obedientia inobedientiam uiuere doceret, cũ pro castitate coniugium uel libidinem docere non posset.

Castitas monastica.

Profuit tamen & hoc ipsum ad operationem erroris sui. Qd enim defuit, ne doceret libidinem, hoc amplius promouit ut operaretur libidinem. Raritas enim & impossibilitas castitatis cũ multitudine uouentium coniuncta impleuerunt cogitationes eius. Honesta nimis erat fictio illa, si monachi sub uoto castitatis essent coniuges, neq; perdidisset animas ea uoti obseruatio, ideo ad aliam fictionem Satana dignam uertit animum, non contentus, ut scortationibus, stupris, adulteriis uotum castitatis cõspurcaret, sed monasticas, moniales, monachales, id est, solitarias libidines. Hæc Satanæ cogitatio, quã an perfecerit, uiderint alii, mihi cogitationes eius duntaxat reuelare propositum, quibus in Christianũ populũ omnia pessima & fœdissima semper

est molitus. Tu caue ne credas eos caste uiuere, quos constet impie uiuere, tum alienis opibus saginatos, ocio, saturitate & abundantia securos agere. Quia hæc est iuiquitas (ait Ezechiel. xvi.) Sodomæ sororis tuæ. Superbia, saturitas panis, & abundantia & ocium ipsius & filiarum eius, & manum pauperi non porrigebant, & eleuatæ sunt & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas sicut uidisti. Castitas uix multo labore, penuria & cruce conseruatur, etiam in iis qui piissimi sunt, id est, qui spiritu fidei cingunt renes, ut Isaias. v. ait, Et erit iustitia cingulũ lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Et Zacharias. ix. Frumentum electorum & uinum germinans uirgines, est bonum & pulchrum populi Christiani, adeo ut Paulus de uidua delicata pronũciare audeat, Viuens mortua est. Quomodo ergo isti persistent, qui in labore hominum non sunt, tum omnia quæ Ezechiel de Sodoma dicit, superbiam, ocium, saturitatem, abundantiam, in eis regnare uidemus? neq; ulli sunt pauperum magis negligentes, fidem uero & spiritum persequũtur etiam, nedũ possident. Solantur tamen interim seipsos, dum inuicem quilibet de altero præsumit castitatem, quã se non seruare sentit. Et hac præsumptione ordo nihilominus sanctus est. O tempora, o regna, o facta, & omnia Satanæ.

Ocium.

Rara castitas.

Quid igitur de uoto castitatis amplius dicam, cum de seruando dicere non sit propositum, & de non seruando abunde dixerim. Probaui enim euidenter, Totum uoti institutum esse fictũ in primis & summis eius partibus, obedientia scilicet & paupertate, etiam si a sanctissimis & piissimis uoueatur serueturq;, mendax uero, impium, sacrilegum & blasphemum ex natura sua, iis qui sancti & pii non sunt. Quid uis amplius? deinde id quod maxime a uouentibus quæritur, esse longe detestabilius & abominatius. Nempe ipsum cultum dei, qui nihil aliud est, ex natura sua, quã quædam larua illudens deo, in rasura, unctura, ueste, boando, murmurando, stando, sedendo, inclinando, genu flectendo, thurificãdo, aspergendo. Caput uero eiusmodi cultus, Missæ scilicet, quia pro sacrificio & opere frequentant, superat omnẽ impietatem & abominationem, ut si nulla causa

Missarum impietas.

moueret ad exuendũ cucullum, relinquendũ monasteriũ, detestandũ uotum, sola missarũ abominatio nimio satis esse deberet ne participaret conscientia cũ peruersis hominibus, maxie cũ in uoto & monasterio esse nõ possis, nisi intersis Missis eorũ & coopereris. Quin nemo est uouentiũ, qui non primo & summo cogitatu Missas & cultũ dei spectet. Ideo em̃ fiunt monachi ut deo seruire possint. Nemo propter castitatẽ induit monachũ quã scit seruari posse & extra cucullum, nõ minus fœliciter quã intra. Sed abominabilis cultus dei specie satanæ allicit nos & subtilissima fallacia pertrahit in laqueũ castitatis seu potius libidinis indissolubilem. Tanto scilicet precio uendit fucũ istius abominationis, ut nisi perpetuo nefandæ libidinis periculo te dedas, ad eas delitias suas non admittat. Cũ ergo & causa uouendi sit, natura sua, abominabilis, & conditio sacrilega & intentio decepta, tum primæ partes uoti fictæ & falsæ. Quid adhuc dubitas, uotum eiusmodi in nulla sui parte ualeret? Non em̃ philosophia sed natura & ius & sensus cõmunis docet, pactũ nullũ esse, cuius conditio mala, causa sacrilega, & intentio falsa est, etiã si quis simplex seruarit pactũ eiusmodi. At hæc in uoto monastico uides per hyperbolen superare. Causa est, larualis ille cultus dei & abominatio missarum. Conditio est, Obedientiã & paupertatem esse consilia Euangelica, tum corporales, esse substantialia uota. Intentio est, hæc omnia aliter accipere quã sunt. Non ergo tenet uotũ natura sua, imo rumpendum est, licet sancti per spiritus miraculũ in mediis istis abominationibus seruati, uotũ eiusmodi supra naturã eius & contra naturã eius seruarint. Finge si promisisses patrem occidere & matrem uiolare, nec hoc implere, nisi adiectis ieiuniis & orationibus quibusdã aut aliis bonis operibus, nunquid ideo teneberis promisso orationũ & bonorum, quia sunt bona, cum uideas caput causamq; & intentionem uouendi esse in totum execrabilem? Imo bonum cum malo omittes, & aliud promittes sine malo, uel nihil promittes pro uoluntate tua. Sic uides & in monastico uoto rem sese habere in omnibus qui per spiritum non contempserint, & pro nihilo sua uota habuerint.

Pactũ malæ conditionis.

Habet uero & castitas suam impietatem, sicut & aliæ partes uotorum, in hoc, quod supra cõmunem fidem iactatur ad iniuriam Christi, de qua nonnihil superius memorauimus. Non enim uirgo aut castus, sed Christianus saluabitur. In Christo autem neq; masculus neq; femina, ita neq; uirgo neq; uxor, & similia, una autem fides, unũ baptisma, unus dominus. Et ubi spiritus non affuerit, impossibile est, castitatem non esse impie & uotam & seruatam. Credit enim uouens hoc opere castitatis sese placere deo, cum scriptum sit, Impossibile est sine fide placere deo. Proinde, qui hac opinione castitatem uouet, nihil uouet, & liberum habet uotum non implere. At qui sint, qui hac opinione uouerint, non potest ullis uerbis definiri, sed cuiusq; conscientiæ relinquitur. Quod autem definiri non potest, faciunt pericula istorũ temporũ, quæ Paulus prædixit. Posita sunt in capite omnis uiæ scandala & pericula laudatæ uirginitatis, iactati uoti cõtinentiæ, exempla sanctorum, in quæ procliue est ruere simplicem turbam, & dum Euangeliũ ac fides silent, apprehendere id quod laudatur & proponitur, & sic in opera niti & perire. Rursum fieri potest, ut aliqui spiritu fidei hæc apprehendant citra scandalum & fœliciter impleant, ut de sanctis credimus. Et cum hos non liceat damnare, nec illos laudare, fit, ut periculosa sint omnia, & nihil possit certo definiri. Si uero Euangelium solum regnaret, & uotorum retia non essent, nec pericula forent, nec opus diffinitione ista, cum omnes scirent, non uoto sed libere esse castitatem seruandam, nec in opere sed in Christo præsumendum. Nunc qui præsumit præsumat, qui nõ præsumit non præsumat, quid possumus amplius dicere, donec scandala & pericula rursus tollantur de regno Christi? Sed obiicient forte mihi illud Isaiæ. lvi. ubi dominus promittit Eunuchis locũ & nomen melius in domo sua a filiis & filiabus. Videtur ergo uirginitati & castitati melius meritum tribui, quam cæteris fidelibus, ac non solius fidei esse merita. Respondeo, hic locus idẽ uult quod Paulus. i. Cor. vii. qui & ipse dicit, bonũ esse sic hominẽ esse, & melius fieri si uirgo nõ tradat, quã si tradat.

Impie castitatẽ supra fidem iactari.

Locus Esaiæ de Eunuchis.

Scimus enim & nos in domo patris esse mansiones multas, & stellam differre a stella in claritate, & unũquemq; accepturum mercedem secundum suum laborem. Quin Paulus presbyteros in uerbo laborantes. duplici honore dignos facit. Et ut ad Isaiã ueniamus, consolatur dominus Eunuchos Euangelicos, ne existiment sese nihil esse, si non generent, quemadmodum in lege maledicta erat castitas, abrogat itaq; hanc maledictionem & dicit, Et non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum &c. Deinde non laudat nudam castitatem, nec eam extollit super oia, sicut nostri faciunt, sed dicit, Quia hæc dicit dominus, Eunuchis qui custodierint sabbata mea & elegerint quæ ego uolui, & tenuerint fedus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius a filiis & filiabus, nomen sempiternũ dabo eis, quod non peribit. Vides hic castitatem laudari, ut longe præferatur custodia sabbatorum dei, electio uoluntatũ dei, & obseruatio federis domini, quæ cõmunia sunt omnibus, sine quibus nihil esse castitatem utiq; sequitur. Proinde hic locus & hoc nomen melius a filiis & filiabus intelligi aliud non potest, quã dona esse diuersa & maiora alia aliis inter sese in domo dei, sicut & Paulus plus cæteris laborauit, ita uirginitas & castitas maiora opera & dona sunt coniugio. Et uere sunt nomina & loca inter filios & filias & inter sese in domo meliora & maiora, sed inter deum ipsum & eunuchos nullum est nomen nisi unum & cõmune, quod est Christi. Hoc enim custodit sabbata, eligit placita & seruat federa domini, nomen autẽ Eunuchi nullũ horũ facit, sed potius fit ex ipsis. Hoc modo intelligendi sunt omnes loci, qui uidentur opera iactare & differentias operum. Nam & Paulus. i. Corint. xii. distinctiones gratiarum, donorum, operationum, describit, sed semper addit, unum esse deum, donum, spiritum. Et Petrus multiformes gratias dicit, sed in alterutrum ministratas. Et Roma. xii. &. i. Cori. xii. unum corpus facit, sed multos actus diuersorũ membrorũ in una eadẽq; sanitate fidei.

De discrimine operum.

Sed de pia & bene deuota castitate loquamur, ad maiorem conscientiarum certitudinem, quanquã ea uel nulla sit, uel nulli impossibilis sit, quod spiritus, qui eam cepit, fidelis est, & perficiet ceptam.

ciet cœptam, etiam si sinat fortiter pulsari & tentari, nihilomi nus tamen de ea ex abundanti dicamus. Paulus Ro. vii. confitet peccatũ in carne sua tale, quo carere non possit in hac uita. qd peccatũ absq; dubio contra legem dei est, sed propter fidem in spiritu repugnantem ignoscitur, & nõ imputatur, quanquã lex exigat, nullum in nobis esse peccatum. Lex autẽ spiritus uitæ in Christo, succurrit nobis, ut hoc impossibile legis nihil operetur damnationis, modo ambulemus secundũ spiritum & non secundũ carnem. Ex isto tanquã per locũ a maiori arguo. Si deus in sua lege a seipso posita, indulget & ignoscit impossibile legis, quod reliquũ est in nobis, ubi nullum est periculum, licet sit uerissime peccatũ, quanto magis præsumendum est cũ fiducia, de bonitate eius, quod non sit imputaturus uotũ castitatis (quod ipse non mandauit neq; consuluit neq; probauit, sed humana temeritate & ignorantia subintrauit) si fuerit impossibile nobis, & periculum urgeat libidinis, modo intra limites inferioris castitatis coniugii maneamus, & non secundũ carnẽ ambulemus. Nunquid seuerius exiget uotũ nostra stultitia inuentũ quã suã legem propria sapientia dispositam? Apostolus Paulus Act. xv. ex operibus dei demonstrauit libertatem Euangelicam, quod spiritus dabatur gentibus absq; circuncisione & lege Mosi, licet tota ferme Ecclesia illa primitiua erronea conscientia contrariũ sentiret, solus autẽ Petrus, Paulus et Barnabas autoritate diuinorũ operum, libertatis sententiam tulerunt et firmauerũt aduersus omnes, In qua re nos erudimur, ut ubi scripturæ testimonia non suffragantur, illic certis operibus dei nos niti oportere, et uice testimoniorũ ea sequi. Sic et in hoc casu faciendum est, cũ uideamus bonitatẽ eius esse indulgentem in sua sanctissima lege propter impossibile ipsius, indulgentem etiam præsumamus in impossibile nostri uoti. Neq; enim credibile est tam rigidum esse in exigenda nostra stultitia, qui tam benignus est in sua iustitia. Et credo, si quis hac fiducia uxorem duceret, castitatem uotiuam seruare non potens, et hac ipsa fiducia promouente, indulgentem et facilem patrem inueniret, cum hoc faceret, ne grauius in legem eius peccaret. Tale est et illud opus, qd

Arg. de impossibilitate.

debitum coniugale, cũ teste psal.l.sit peccatum & plane furio-
sum, nihil differens ab adulterio & scortatione, quantũ est ex
parte ardoris & fœdæ uoluptatis, prorsus non imputat coniu-
gibus, non alia causa, nisi sua misericordia, quod sit impossi-
bile uitari a nobis, cum tamen eo carere teneamur. Cur igitur &
cœlibi impotenti, alioqui peccaturo, non præsumeretur, impo
ssibile istud relaxare & coniugiũ irrito uoto permittere, aut si cũ
peccato uoti fiat, ceu debitum coniugale benigniter indulgere?
Hæc ratio, si spectes quã magna res sit lex dei, & compares om-
nia diligenter, Impossibile eius, & peccatum quod ignoscitur, &
magnitudinẽ bonitatis indulgentis, deinde nostri uoti stultitiã
& imprudentiam, merã traditionem & inuentũ hominũ, certe
urgebit, ut parũ esse ducas, ignosci coniugũ impotenti & la-
benti cœlibi, ad ignoscentiam peccati in uniuersam legem dei,
propter impossibilitatem eius in omnibus hominibus, ut ex isto
opere dei satis fideliter concludamus, Impossibile uotũ non li-
gare saltem ex bonitate dei, siquo modo ligaret ex natura sua.

Atq; hæc dixerim, non quod concesserim, tale aliquod uo-
tum fieri posse secundũ institutum monasticum, aut necessaria
existimem iis, qui pie uouerunt etiam sub instituto monastico.
Nã hos (ut dixi) spiritus ut mouet ita permouebit, ut sub insti
tuto monastico, sine instituto monastico uoueãt & uiuant. Nõ
.n.uouent aut seruãt, quia sic & dictat & exigit forma & lex in-
stituti, sed quia spiritu libertatis gratuito delectat per sese facere,
quod institutũ præscribit, alioqui opus legis & iustitiã factorum
operarent, quod est maxime aduersariũ Euãgelio. Illi uero, qa
ad formã instituti & propter institutũ uouent & uiuunt, Iudæi
sunt, & impie aduersus Euangeliũ & uouent & uiuũt, unde non
potest eorũ esse tale uotũ, quod hoc consilio egeat, sed prorsus
reuocandũ & cassandũ est, quod in nouo testamento, quod est
testamentũ libertatis, in quo ministeriũ spiritus & nõ literæ reg
nat, non licet literã statuere & docere. Si autẽ statuta & docta fue
rit in tentationẽ, non licet apprehendere, sed declinare & fugere
oportet. Dicit.n. Paulus Ro.xvi. Exhortor uos fratres ut obser-
uetis eos qui dissidia & scandala faciunt iuxta doctrinã quã uos

di licistis, & declinate ab eis. Tales.n.nõ domino Ihesu Christo seruiunt sed suo uentri, & per bonos sermones & benedictiones seducunt corda innocentũ. Hæc uerba nõ possunt nisi de iis intelligi, qui iuxta uiam Christianam uelut meliora docent. Non enim dicit, quod negent doctrinã nostram, sed quod iuxta eã & aliam docent, quod propriissime faciũt instituta monastica, sed & dissidia & sectas, tum seruitutem uentris, maxime uero bonos sermones & iactantias, laudes, priuilegia, alias benedictiones ordinũ & operum nusquã uidemus nisi apud monasticos, ubi & seductio cordiũ innocentiũ regnat, cũ ergo præcipiat ea obseruare & declinare ab eis, non est dubiũ uota eiusmodi irrita esse & nihil unquã ualuisse. Quare & declinandũ ab eis est, uel spiritu, sicut sancti fecerunt, uel spiritu & litera simul, tanquã a seductione certissima per Apostolũ hic definita & damnata. Idẽ uult, ubi Timotheum in utraq; Epistola uult manere in iis quæ didicerat, nihil permittens addi. Hoc faciẽs (inquit) saluũ facies teipsum & qui te audiunt, haud dubium quin si non permanserit in eis, perdet seipsum & eos qui se audiunt. Hinc & Petrus.ii.Pet.ii. sectas perditionis appellat, horrẽdo & terribili uerbo nos a sectis & opinionibus extra Christũ deterrens. Et.i.Pet. iiii. ubi iussisset, ne aliquid doceretur quã uerbũ dei, neq; aliquid disponeretur, nisi opus dei, ut solus deus in nobis glorificaretur in omnibus per Ihesum Christum, adiecit, ne peregrinaremur in feruore tentationis, sed ipsius uerba saluberrima audiamus, Vnusquisq; sicut accepit donũ ministret ipsum inter uosipsos, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ dei. Si qs loquit, tanquã sermones dei, si quis ministrat tanquã ex uirtute quã suppeditat deus, ut in omnibus glorificetur deus per Ihesum Christũ cui est gloria & imperiũ in secula seculorum. Charissimi, nolite peregrinari in feruore qui in uobis est, qui fit uobis in tentationẽ quasi peregrinũ uobis cõtingat, sed cõicate passionibus Christi.

Primũ uult nihil ministrari, nisi acceptũ donũ, nihil doceri, nisi uerbũ dei, nihil geri, nisi quod operet in nobis deus, quia non nostræ opis sed multiformis gratiæ dei sumus dispensatores, ut nihil humani, sed omnia diuina dicant & gerant in nobis.

Quod ideo fieri debet, ut glorificetur deus per Iheſum Chriſtũ, cuius eſt gloria et imperium in omnia ſecula ſeculorum. Cum enim regnum eius ſimus et ipſius ſit regnare et imperare in nobis, permittendum non eſt uerbum aut opus, quod ipſe non loquitur aut non operatur in nobis. Si autem permittimus, iam abiicimus eum cũ Iudæis ne regnet ſuper nos, & in medio regni dei regnare facimus alienũ, atq; ita uaſtatur regnum dei, & ſedet abominatio in loco ſancto. Ideo enim Eccleſia regnum dei eſt & dicitur, quod ſolus deus in illa regnat, imperat, loquitur, operatur, glorificatur. Si igitur aliquid in nobis docet & operat homo, quod non docet nec operatur deus, iam non glorificat deus in nobis per Iheſum Chriſtum. Ille.n. glorificatur, cuius eſt uerbum & opus, deus autẽ de alieno uerbo & opere nõ glorificatur. Ita fit, ut neceſſe ſit, deũ amittere gloriam & regnum in nobis, ſi alienũ uerbum & opus in nobis regnet, eius em̃ erit gloria & regnum, cuius eſt uerbum & opus. Quid igitur in Papatũ, Epiſcopatus, monachatus, ſacerdotia, ut nunc ſunt, poteſt robuſtius dici? Eſt ne aliquis tam rudis uel audax, qui aſſerat Papæ & monachorum dogmata & opera eſſe dei per Iheſum Chriſtum tradita? Vbi enim Iheſus Chriſtus ea tradidit? At quod per Iheſum Chriſtum non dicitur neq; geritur in nos, nõ poteſt rurſus per eundem a nobis in patris gloriã referri. Cuius ergo eſt gloria & imperiũ in monachis? utiq; Satanæ, per S. Benedictũ & alios homines, impia hypocriſi & peruerſa operũ æmulatione iactatos & celebratos. Vt ergo Chriſtus non docet uota monaſtica, ita non operatur ea, licet in ſanctis ſub uotorum inſtituto captiuis, operatus ſit & locutus mirabiliter ſine uotis. Deinde quod dulciter compellat & dicit, Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore qui in uobis eſt &c. Sollicitus eſt pro nobis ne hanc regulam a ſe præſcriptam, aliqua tentatione capti deſeramus, peregrinandi uocabulo utitur quod græce eſt μὴ ξενίζεσθαι nolite hoſpitari, nolite hoſpites fieri, non unã figuram uet. teſt. ſpectans eo uerbo. Vult em̃ id, quod Paulus Eph. iiii. ne fluctuemus & circumferamur omni uento doctrinæ, ne nos inuitari ſinamus ad ſacrificia Moabitarum, nec hoſpites fiamus omniũ

Opera dei.

Peregrinari.

gentium quæ circum nos ſunt, ſed in propria & domeſtica doctrina perſeueremus. Feruorem qui in uobis eſt, ſpiritũ propriũ intelligit, qui figuratus eſt uerbo conflandi. Vnde in uet. teſt. idola conflari, & conflatilia fieri, id eſt, dogmata impia operũ cõponi dicuntur. Hunc ſpiritum, in nobis & inter nos non defore prædicit, ſed ne per ipſum peregrinemur, in tentationem & in ſcandalum præmonet. Erant. n. futuri & fuerunt erũtq; hæc molientes in nobis. Sed nolite (inquit) a domeſtica ueſtra regula declinare, quaſi aliquid peregrinum uobis accidat, hoc eſt, certi eſtote, nihil noui docebitur a deo, id quod audiſtis uerbũ æternum eſt, manens in ſeculum ſeculi. Quod ſi quid noui & peregrini acciderit, ſcitote, aliunde quã a deo uenire, ut uos auocet & peregrinari faciat. Quo uerbo plane futurũ Papiſtarũ mendacium præoccupauit, quo dicunt, Non omnia eſſe a Chriſto & Apoſtolis dicta & inſtituta, ſed Eccleſiæ plurima dicenda & inſtituenda relicta. Hoc eſt peregrinum & nouũ, quod negat Petrus nobis accidere debere aut poſſe. Oia ergo quæ nõ ſunt uerba & opera dei, hic damnat Petrus, hoc eſt, uota monaſtica ſoluit.

Mendaciũ Papiſticum, Nõ oia a deo eſſe ſufficienter inſtituta.

Omnium autem euidentiſſime Chriſtus loquitur in monaſtica uota Matt. xxiiii. Tunc ſi quis uobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere, ſurgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ & dabunt ſigna magna & prodigia ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiã electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire, ecce in penetralibus eſt, nolite credere. Hæc uerba de nullis hæreticis intelligi poſſunt, niſi iis, qui uias & modos (ut uocant) uiuendi ad iuſtitiam & ſalutem docent, quales nulli fuerunt, præter Papiſtas & monaſticos. Hii enim ſunt qui iactant Eremitas, id eſt, uocant ad deſertum & penetralia, id eſt, clauſtra ſeu monaſteria. In his docent inueniri Chriſtum, id eſt, iuſtitiam & ſalutem, tam impudenter, ut cæteros uiuendi ordines appellent ſeculares, quaſi apud ſe ſolos ſit ſalus, ſed hoc ipſo ſunt pſeudochriſti, & a communi fide trahunt ad opera, & a Chriſto poſt ſeipſos. Legitur in uitis patrum S. Syluano uiſionem apparuiſſe, & infernum monachis repletum oſtenſum eſſe, qui deinceps noluit conſolari in

Ecce hic. ecce illic eſt Chriſtus.

appellant ſimplices

uita, postquã uiderat huius generis homines, qui sancti uidebantur, turmatim perire. Quæ historia & uisio certe cũ hoc Euãgelio consentit, uideturq; deus ideo eã reuelasse, ut erroris operationem tunc ingredientẽ ostenderet & differret, quod & multis aliis signis uoluit, in S. Antonio, Paphnutio & aliis. Multa em̃ in eo libro exempla sunt periculosissima in fidei doctrinã operibus debachantia. Si autem eo tempore monastica uita erroris operatio fuit & monachos perdebat, quid nunc quæso esse putabis iamdudũ extincta fide & Euãgelio? Corruit hic argumentum Parrhisiensiũ asinorũ & Papisticæ sectæ porcorum, quo a multitudine & sanctitate arguunt. Christus soluit argumentum a multitudine, dum dicit, Et seducent multos, ita ut electi in errorem duci possint. Argumentũ uero a sanctitate soluit eodẽ, quod electos seducendos prædicit. Nihil ergo rudiẽtes asini agũt dum dicunt, Ecclesiam non fuisse tanto tempore derelictam, nec ignorasse, quæ Lutherus sese scire promittit. Ecclesiam ipsi uocant sectas suas, sed non magis sunt Ecclesia, quã prophetæ, sacerdotes, seniores, reges, principes, pharisæi, sadducei, erant synagoga, qui omnes etiam Eliæ temporibus errauerunt & ignorauerunt, ut tantum septem milia relinquerentur, sed qui adeo latebant adeo non uidebantur synagoga esse, ut nec Elias unum ex eis nosset. O horrendum exemplum. Igitur habes hic autoritate Christi, ut liceat imo oporteat redire, si exieris in desertum aut intraueris penetralia istorum? Quid hoc aliud est, quã uotum tuum in aliam quã Christi doctrinam factũ, esse reuocandum & cassandum tanquã erroneũ & impium? Dixi em̃ S. Bernhardum eo seruatum esse, quod de uotis totaq; sua uita hanc ex animo protulit sententiã, Perdite uixi, hac uoce & confessione nonne uota sua nihili fecit & ad Christum rediit? Eadẽ forma & alii sancti sub uotis sine uotis seruati sunt, nisi q; in errore electorum sub uotis uixerunt, in laqueum & operationem erroris iis qui pereunt & non credunt Euangelio. Cum ergo hæc uerba Christi & aptissime quadrent in monasticã simul & argumenta eorũ dissoluunt, cũ fiducia eis innitendũ est, & uota pro nõ uotis habenda, ut quæ euidenter scias, in uerba & opera nõ

6. Bern. dy vota c rasphmis

dei, ſed hominum & fieri & niti, quod prohibitum eſt, & peccent in gloriam & in regnum dei, natura ſua.

Ex iis omnibus colligitur & ſtultitia uoti, præſertim caſtitatis, ut ſi cætera non caſſarent, ipſa ſtultitia tamen non ſinat ualere. Quid enim uouet cœlebs, uouendo caſtitatem, niſi rem, quæ prorſus nec eſt nec poteſt eſſe in manibus ſuis, cum ſit ſolius dei donum, quod accipere non offerre poteſt homo. Irridet ergo deum dum uouet, non aliter, quã ſi uoueat ſeſe fore Epiſcopum, Apoſtolum, principem aut regem, cũ ſciat nihil horũ eſſe in poteſtate ſua uouentis, ſed in alterius arbitrio & autoritate uocantis. Finge quæſo inſanum, qui uoueat deo in hanc formam, Voueo tibi domine, nouas ſtellas formare aut montes transferre. Quid de hoc uoto iudicabis? At nihilo differt uotum caſtitatis ab iſto, cũ non minus ſit opus mirabile dei? quã ſtellas formare aut montes transferre. Cum ergo iubeat dominus, ut qui uouet uel offert, de ſua ſubſtantia & de donis ſibi benedicente domino datis offerat, ut habent omnia uerba legis Moſaicæ de uoto, euidens eſt uotum caſtitatis, non placere nec exigi a deo poſſe, cum ſit de re nondum donata nec in noſtra poteſtate ſita. Si enim uotum unum ualet, quod fit de rebus nõ noſtris, ſed in manu dei poſitis, poterimus etiam licite & pie uouere, omnia quæ deus habet & poteſt facere? ſi iſta omnia non ualent, nec unum illud caſtitatis ualebit. Voueas ergo te fore certiſſime ſaluum, fore te æqualem Petro, caſtaturum regna Turcarum, uiſturum annos Mathuſalem, & omnia quæ deus in hominibus facit aut facere poteſt. Si hæc non licet uouere, quod tua non ſint, cur caſtitatem uoues quæ tua non eſt? cur in uno uoues quæ dei ſolius & tua non ſunt, & non in omnibus? ſi non in omnibus, cur in uno? Dices, caſtitatem poſſum orationibus impetrare? Audio. Et quid non potes oratione impetrare? Nonne promiſit Chriſtus, quæcunq; petieritis in nomine meo, credite & fient uobis? Cur ergo non omnia alia quoq; uoues & impetras? Sed obiicies forte, hac ſententia nec in baptiſmo uouere liceret deo, cum & fides & mandata dei implere, ſint non in manu noſtra, ſed ſolius dei. Reſpondeo,

Et ij. Cor. v ij Acceptat vo lũtas iuxta id quod habet.

Votum Baptismi.

Respondeo, pulchre & oportune, quasi uota baptismi cũ uotis tuis ulla parte conueniant. In baptismo est promissio dei offerens, & nostrum uouere nihil aliud est, quã acceptare Christum qui offertur nobis. Fœlix sane uotum quod non promittit aliquid dare, sed tantũ bona accipere & acceptis adherere. Hic plane nihil uouetur a nobis nostrarum rerum, nec earũ quæ sunt in manu dei, imo si recte consideres, deus uouet nobis, & uotum est ex parte dei promittentis simul & donantis gratiam, & illud quod exigunt eius præcepta. Nos rursum uouemus, uotum & promissionem eius libenter & cũ gaudio accipere & seruare. At cum uirginitatem uel castitatem uoues, nunquid ibi deus adest & eam tibi uouet, promittit & offert? Quando enim promisit eam tibi donare? unde certus es, quod donabit? Nonne tu solus & uacuus re ipsa quã promittis, accedis? Nonne tu solus es promissor, & non est qui tibi respondeat & promissionem acceptet? Et cur acceptet, cum sis promissor inanis & stultus promittens quod non habes? Vides ergo uotum baptismi & continentiæ esse prorsus contrariæ naturæ, hoc offert quod non habet, illud accipit quod non habet. Hic homo promittit inanis alienum, illic deus diues promittit suũ. Donec ergo promissionem dei donantis non potes in uoto continentiæ probare, stultitiam & uanitatem uoti eiusmodi excusare non poteris. Stultũ autẽ & uanum deus acceptare & exigere non potest, baptismi autem uotum uerax & plenum est, quia nititur in promittente & donante deo. Quid si aliqui non acceptent? nihilominus uerax est qui offert?

Annus probationis.

Huic stultitiæ iungunt & aliam, quod pro adornando uoti rigore indissolubili integrum annum probationis (quẽ uocãt) uouenti largiũtur homines mire misericordes & clementes. Atq; ne nihil in eis laudem, si anno probationis in hoc uterentur, ut ingressurus ad eos spectaret mores, uictum, amictum & alia quæ ad corpus pertinent probari poterant. At nunc ideo est annus probationis, ut in eo tentet an & caste uiuere possit, qui est uouturus, obsecro quæ stultitia esse potest par huic, si ipsam rationem instituti spectes? Nam sanctos semper excipio in suis mirabilibus.

rabilibus. Scilicet probatio castitatis non metitur facultate spiritus, sed numero dierum, & qui annum caste uixerit, idoneus censetur ut tota uita caste uiuat. Quando ergo ab externo petenda est probatio castitatis, cur non petitur & a locis & personis? ut ille sit idoneus, qui multa loca perambulauerit & multos homines uiderit, quo solos cursores & mercatores faciamus monachos? Aut si interna res tempore probari potest, cur non fit etiã idoneus ad pacientiam, mititatẽ, fidem, charitatem, qui uno anno sese in iis tentauerit, ut gratia dei nihilo sit opus ad has res? Sufficit enim tempus transiisse super eum, & mox idoneus est nouus homo fieri, aut si in iis nõ sufficit, cur sufficit in castitate sola? Hæc dico ut uideas nihil esse in uniuersa monastica, quod non sit egregie stultũ & impium, plane non nisi Papistico regno dignum. Sed amplius cum Petrus nihil fieri in Ecclesia uelit, nisi quod certũ sit a uirtute fieri, quã suppeditat deus, quis eos certos facit, annum hunc probationis apud deũ sufficere? quis dixit, probari apud deum probationem istam? Imo Petrus dicit, non probari apud deum cũ statuatur ex uirtute humana, uirtute autem dei nullus est annus probationis, sed tota uita est unus annus probationis. Fieri potest enim ut non uno sed duobus ac tribus annis caste uiuas, postea uel urente carne & feruentibus uenis, tum afflante igneo halitu Satanæ, qui ardere facit prunas (ut in Iob dicitur) prorsus continere non possis, probatio autem castitatis fieri non potest quiescente libidine, sed solũ furente. In manu autẽ nullius est, tempus furentis & concitatæ libidinis, id est, tempus probatiõis. Cur ergo tempus pro tempore numeratis, et probationem appellatis, quod probatio nõ est? Ego ipse in me et multis aliis expertus sum, quã pacatus et quietus soleat esse Satan in primo anno sacerdocii et monachatus, ut nihil iucundius esse uideatur castitate, sed hoc in tentationem et in laqueum insidiosissimus hostis facit, cui cooperantur insani monastici et annum probationis non solum non ex spiritu, sed neq; ex re ipsa, uerum ex calendario et numero dierũ metiuntur, ut probent nihil sani neq; pensi apud se esse, incedentes in rebus istis spiritualibus et periculosissimis ceu brutis.

Anno ꝓmo Rꝓbatio

Petrus ait Irrationalia, naturaliter in mactatione genita. Cum ergo Annus iste probationis ex solis hominibus stultis stulte solos dies numerantibus pendeat, & incertum est an deo placeat, imo certũ sit displicere, tum ex ipsa natura rei & autoritate dei nullum certũ probationis tempus signari aut definiri possit, sed tota uita necessario sit probationis annus, uides & uotum castitatis nihil esse, quod super eo probationis anno nitatur. Cum enim ipsimet censeant uotum probatione prætentandũ esse, & hæc probatio nunquã certa sit, uotum quoq; nunquã certũ esse poterit, annum uero probationis ipsorum, cum sit electicius & arbitrarius ex hominibus positus, facit, ut & impletio uoti debeat esse arbitraria, ut si annum tollant & abrogent, quo uotum nititur, etiam uotum tolli & abrogari debeat.

Sed illud omniũ stultissimum, quod annos professionis ceperunt definire, aliis quartũ decimum, aliis decimũ octauum annum ætatis signantibus. Obsecro unde hominibus hoc ius definiendi? Hic uero mihi aliquãdo in uno placent quidã illorũ, quod monachis ante decimũ octauum annum professis, copiã faciunt abeundi. Hoc unum est quod in monastica laudabile & Euangelicũ uidi, quanquã non apud omnes passim. Atq; hoc dolet quod non idem faciunt, & omnibus qui ante sexagesimũ annũ sunt professi, ut Paulum ex parte imitarentur, qui uiduas minores annis sexaginta reiicit, ne assumantur alendæ Ecclesiarum facultatibus. Nam uiros cũ sint robustiore & uegetiore corpore, tardiusq; feminis emoriantur, septuagesimo uel octogesimo anno demũ recipi oportebit. Prorsus hic monachos propria autoritate constrictos teneo, Si adolescentem infra decimũ octauũ annum professum absoluũt, & nulla est causa definiendi eius anni, nisi merum arbitrium humanum quo poterant & tricesimũ, quadragesimum, quinquagesimum & sexagesimũ definire, debent eadem autoritate quemuis quouis anno professum absoluere. Neq; enim mandatum dei aut uotum sed imbecillitatem uouentis spectant, & ad eam sana & pia ἐπιείκειαν accomodant uotum monasticum. Iam fieri potest, nec est in [illegible] hominis potestate, prohibere ut iuuenis aut uir, usq; ad

Reminder word pg and divine grace/

De annis professionis.

sexagesimũ annum æque imbecillis aut etiam imbecillior sit ad continendum & grauius uratur libidine, quã adolescens. Si ergo libido & imbecillitas est interpres uoti & ἐπιείκεια mandati, sicuti uerum est & semper ita ab olim fuit, debent prorsus omnia uota libera & temporalia esse. Quod nisi fecerint, plane crudelissimi & cruentissimi sunt animicidæ. Si autem sibi hoc non licere putabunt, nec id licebit, quod ante decimũ octauum absoluũt, etiam si puer uel infans uouisset. Tam enim incertus est & ignorat iuuenis quid sit caste uiuere, uel an sit caste uiuturus, quã puer uel infans quilibet. Quis enim scit, quid possit in futurum? In baptismo & dei sacramẽtis semper certi sumus, quid simus accepturi seu passuri, nempe diuina, ideo sunt rata & fidelia uota dei ad nos. At uouere ea quæ nostra non sunt, eadem est stultitia, eadem est ratio cassandi, infanti, puero, uiro, seni, & omnibus hominibus.

DE VIDVIS APVD PAVLVM I. TIMOTH. V.

RELIQVVS est locus unus, quem pro uotis fortasse facere aliquis putabit. Is est Pauli. i. Timoth. v. de apostatis uiduis dicentis hoc modo. Cum lasciuierint aduersus Christum, nubere uolunt, habentes damnationem, quia fidem primam irritam fecerunt. Ex hoc loco non obscurum est uenisse celebre illud Augustini uerbum, quo definit, Sanctimonialibus non solum nubere, sed & uelle nubere, damnabile esse. Sed Paulum prius uideamus, qui si non hoc cogit, nec Augustinus quippiam coget. Primum hoc certum est, Paulum prorsus nihil loqui de uouendi instituto, neq; enim Ecclesia primitiua hoc uori genus unquam nouit, sed de uiduis loquitur, quæ alebantur Ecclesiæ facultatibus, & curabantur ministerio Diaconorum, quale exemplum in Actis quarto legimus. Nihil ibi de uiris religiosis, nihil de uirginibus, sed de pauperibus uiduis agit, quarum cura in lege Mosi instantissime cõmendatur. Nam, in eodem capite Paulus definit uiduas, quæ possunt ali à suis, non debere ali facultate Ecclesiæ. Dicit enim,

Ignorauit uota Ecclesia primitiua.

Si quis fidelis habet uiduas, subministret illis, & non grauet Ecclesia, ut iis quæ uere uiduæ sunt sufficiat. Rursus, uiduas quæ parentes aut filios habeant, æque secernit, dicens, Siqua uidua filios aut nepotes habet, discat primũ domũ suam regere & mutuã uicem parentibus reddere, hoc enim acceptum est corã deo. Veram autem uiduam facit eam, quæ nec parentes nec filios, nec ullos habeat a quibus curetur. Sic enim dicit, Quæ autẽ uere uidua & solitaria est, sperauit in deum, instat orationibus & obsecrationibus die & nocte. Inter has igitur inuenit duo genera quæ damnet, unũ quod in deliciis uiuit, scilicet earũ quæ relictis sibi opibus diuites sunt, unde seipsas curẽt, de iis dicit, quæ in deliciis est, uiuens mortua est. Alterum, quod ab Ecclesia susceptum erat propter paupertatem, sed hæ cum essent iuniores, alienis facultatibus saginatæ lasciuiebãt. Et quæ in propria paupertate a nullo fuissent petitæ, nunc in alienis laboribus pingues ultro petunt nubere. Sed nec hoc in eis dãnat Paulus quod nubere uolunt, sed quod fidem primã irritam fecerunt. sic enim dicit, Habentes damnationem, quia fidem primã irritam fecerunt, alioqui contra seipsum diceret, ubi sequitur, Volo iuniores nubere, filios procreare. Fides uero in eo loco uotum non potest significare, neqꝫ.n. uouerant uiduitatem, neqꝫ in tota scriptura fides uotum significat, sed fides Christi ea est, quã ut securius nuberent, abnegauerunt & ad Iudaismũ uel gentilitatem redierunt, id quod probãt circunstantiæ & sequelæ. Sequitur enim, Iam enim quædam retro conuersæ sunt post Satanam. Et iterũ, Simul discunt loqui quæ non expedit. Hæc certe dicuntur, de apostasia fidei & doctrinæ, ut satis notum est. Eodem spiritu & in secunda ad Timotheum scribit, Demas me dereliquit diligens hoc seculum. Et iterum, Scis quod auersi sunt a me omnes qui sunt in Asia. Si enim non peccassent in fidem, non de eis loqueretur hoc modo, sed mandaret eos curari quo modo fornicarium apud Corinthios. Quare concludimus, fidem primam esse Christianam fidem, a qua multi in primitiua Ecclesia apostatabant, cũ adhuc esset nouella, & hanc apostasiam maxime arguũt Apostoli, in quã & autor Epistolæ ad Hebræos inuehit,

Corinthios opibus alienis

fides uotum

dum afferit esse impossibilem renouationē salutis, iis qui semel prolapsi sunt, uidelicet, quod ii qui labebantur, arbitrabantur etiā alia fide, nempe propria aut Iudaica sese saluos fore. Nihil ergo ad uota pertinet locus iste, multo minus ad religionū uota, sed & hoc magnum argumentum est, de fide Christi eum loqui, quod ait, eum aduersus Christum lasciuierint, Aduersus Christum lasciuire est non sola libidine carnis insanire, sed contra fidē eius ob lasciuiā conari, & negata eius fide, alio spectare. De loco ad Heb. vi.

Sed finge, Apostolum de uotis & non de uiduis loqui, iam fortissime omniū pro nobis facit. Et nullus scripturæ locus tam potenter euidenterq; uota & religiones damnat, ut plane optandum sit, eum uel loqui uel intelligi de uotis. Si enim de uotis sentit, manifestum est, corrigi & damnari uota in futurum, utcunq; illæ in præteritis peccauerint. Dicit enim, uiduas iuniores deuita. Et iterum, Volo iuniores nubere. Quare post hanc Apostoli definitionem, prorsus nulli licuit uouere, nisi annos nato sexaginta. Elige ergo utrum uolueris, aut Apostolus loquitur de uotis uel non loquitur de uotis, Si nō loquitur de uotis, nihil urget hic locus, si loquitur de uotis, correcta & damnata est ab ipsomet uita deuotaria ante sexagesimū annum, & patrona erit nostræ sententiæ autoritas ista fidelissima, ut securissima sit conscientia, si uota sua cassauerit.

Summa. Cum abunde satis dictum sit, hoc uitæ genus pugnare cum Euangelio, dum facit peccatum in cibis, uestibus, potibus, locis, personis, operibus, gestibus, in quibus Christus nullum peccatū facit, sed libera esse iussit, nec subsistere possit, nisi peccatū eiusmodi faceret & conscientias illaquearet, ut est omnium euidentissimum, statim enim uanesceret, si libera hæc esse putarent & conscientias non tenerent. Simul euidentissimū est, eiusmodi uota esse nulla, illicita, impia, & Euangelio pugnantia. Quare non est disputandum, pia uel impia opinione uoueris, cum certum sit, impias res a te uoueri. Proinde fidendum est Euangelio, & uota ista, quocunq; casu, quocunq; animo, quocunq; tempore emissa, cum tota fiducia deserenda sunt, & ad libertatem fidei Christianæ redeundum. Hæc mea est firma

& indubitata sententia, de qua benedico & gratias ago, benignissimo liberatori domino nostro Ihesu Christo, qui est benedictus in secula Amen.

Hæc pro tempore de monastica uolui dicere, plura dicturus siquis ea impetierit, quanquã sic arbitror omnia scripturis & rationibus euidentibus munita, ut non solum possint aduersariorum os oppilare (quod parum spectaui) sed etiam cõscientias fideliter erga deũ erigere & securas facere, id quod maxime spectaui. Illaqueatis enim diuturnis legibus, consuetudinibus, propriis pauoribus & scrupulis, deinde sanctitatis autoritate, multitudine & magnitudine hominũ, maxime uero diuinis scripturis erroneo sensu altissime imbibitis, certe difficillimum est mederi & libertatem tam letam, tam desperatis & iam dudum in inferno deploratis persuadere. Nam ut hæc pugnent & triumphent aduersus Papam & suas synagogas, infinitum illud Academiarũ, monasteriorũ, collegiorum uulgus, non magnopere gaudeo. Quid.n. ad nos, qd sapiat perditũ hoc Papæ & peiorũ Turcarũ regnũ, quod iã dudũ contempsi? Nobis hoc curæ est, ut conscientias roboremus aduersus Satanam in hora mortis, & securas reddamus ante filiũ hominis. Insaniant homines ut ut uolunt, in morte saltem nos relinquent siue uicti siue uictores. At corã Satana & iudicio dei quis subsistet, nisi certissimis & euidentissimis uerbis dei munitus, steterit supra petram & custodiã suam, auditurus quid cõtradicatur ei, qui possit dicere deo, sine hesitatione & trepidatione cordis. Hæc tu dixisti, qui mentiri nõ potes. Vnde & ego per Christum oro, oẽs qui meo uoluerint hoc consilio uti, & deserta monastice libertati sese reddere, ut ante omnia suam conscientiam probent, ne forte hoc tentent nouitate rei allecti, aut solo hominũ contemptu uel odio. Nam ii in morte, suscitata & uexata per Satanam conscientia de apostasia, de soluto uoto &c. non subsistent, sed ad sacrilegam pœnitentiam spectabunt, fientq; nouissima peiora prioribus. Opus est enim hic solis uerbis dei puris fortiter inniti, & ne iudicio quidem dei cedere, cum sciamus, ueracem eum esse, sese negare non posse. Verba autem quæ huc ualeant ea sunt quæ su

pra posuimus, in quibus solus Christus nobis lux & dux præficitur, & quicquid est ab hominibus inuentum damnatur. Ipse igitur dulcis dux & lux nostra Iheſus Christus illustret & roboret cor nostrum, in uirtute sua propria & uerbo salutari in uitam æternam. Cui est gloria & imperium in secula seculorum A M E N.

PETRVS.

QVASI LIBERI ET NON QVASI VELAMEN HABENTES MALICIAE, LIBERTATEM. SED SICVT SERVI DEI.

PAVLVS.

IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS. TANTVM NE LIBERTATEM DETIS IN OCCASIONEM CARNI.

6939

(119) pp.
cc
sr 8/88.

MGG

KIS174